

V C
144





AK-282

Vc
147

13.

1.
2. D. B. V.
De

**NOBILITATE
MISNIÆ
LITERATA,**

SCHEDIASMA HISTORICUM,

Quod

Publicæ Eruditorum disquisitioni

in

ACADEMIA LIPSIENSI

PRÆSIDE

L. ADAMO Rechenberg/

P.P. & Collegii Philosophici

h. t.

DECANO,

V. Septembr. M. DC. XCIV.

submittit

A U T O R

JOHANNES BALTHASAR WIPPEL,

Altenburg.

TYPIS CHRISTIANI GOEZI.

*Widst. Tombe
San ABA. a
Schoenberg
Hermin. von
Schoenberg
Latuso u. d.
offenbare
colombu
ca. off. v. sy.
Latuso
mit
A. B.*



K. 72282

GR. 113

NOBILITATE
MISERIE
LITTERARIA

SCHEDIASMA HISTORICUM
Publici



L. ADAMO
F. R. & Collegii Philologici
DECANO

AUTOR
JOHANNES BALTHASAR WIPPEL
Altenburg

Typis Christiani Gortz





B. C. D.

SECTIO I.

De

NOBILITATE MISNICA IN GENERE.

§. I.



Um duo sint, quibus NOBILITAS parta olim a majoribus ad posteros deducta est, *Virtus*, inquam, & *Ars* seu *scientia* aliqua *eximia*; tum sine illis conservari eam haut posse, nemo, opinor, facile negabit. Qui enim genuina hæc *Nobilitatis* prima fundamenta insuper habet, inque splendore natalium & longa majorum serie tantum quærit laudem; aliena, non sua jactat. Quod *Poëta* verissime tetigit:

*perit omnis in illo
Nobilitas, cujus laus est in origine sola.*

Virtute igitur & Artibus, seu, ut vulgo loqui amant, *Arte & Marte* Nobilem niti oportet. Nolo jam ex Græcorum atque Romanorum veterum annalibus exempla, quæ sane plurima sunt, accersere; cum domi & in patria nostra multa, eaque illustria suppetant, quæ palmam certe antiquis illis hac in parte, dubiam reddere queant.

§. 2. Prolixum foret ac ab instituti nostri ratione alienum, eorum nomina recensere, qui inde ab Henrici Aucupis, incluti Germanorum Regis ætate, etiam in his terris, propter *virtutem* in bellis, isthac tempestate frequentibus, tanto Principi & patriæ adprobatam, familiis suis primum Nobilitatem intulêre, ac inde ad suam posteritatem etiam traduxerunt: eos tantum, qui NOBILITATEM olim partam, aut noviter ac-

A 2

quisitam

quisitam, in Misnia nostra *Literarum & Artium studiis* reddiderunt illustriorem, memorabo. Quorum sane major atque illustrior copia est, quam quæ a mea tenuitate, brevi hac diatribe, dignis modis describi vel laudari queat. Præcipue cum documentis, quæ a multis privatim asservantur, destitutus, non omnia, quæ proposito huic meo inservirent, in medium afferre liceat. Faxo ergo, ut quæ in publicis annalibus aut aliis monumentis sparsim de LITERATIS MISNIÆ VIRIS NOBILIBUS leguntur, velut in compendio aut per saturam recitentur.

§. 3. Præmonendum tamen ante duxi, dum MISNIÆ solius NOBILES LITERATOS recensere paro, me illius nomine designare illum regionum tractum, qui olim ab Hermunduris, Slavis, Sorabis & Ostlandis infessus, *Misnia* nomen a Misniæ rivulo, in imis Misniæ, oppidi ad Albim extructæ vallibus præterfluente nomen accepit, quique duobus fluviis, Albi & Sala interluitur, ac ab oriente Lusatiam, a meridie Bohemiam, ab occidente Thuringiam, & a septentrione ducatu Saxonico & principatu Anhaltino terminatur. v. *Peiferi Lips. l. 1. §. 48.* & *Albini Chron. Misn. tit. 13.*

§. 4. *Originem* autem Nobilis seu Equestris Ordinis in Misnia primum qui scrutati sunt, in eo fere omnes conveniunt, quod illam virtuti seu fortitudini bellicæ debeant, quam Henrico Aucupe imperitante, patriæ & Regi incluto adprobarunt. Nam Henricus ille cum ignem, quem in Sorabis Francorum Reges obrutum reliquerant, sic, ut annis prioribus per variam bellorum fortunam exactis, sæpius ex improvise incendium daret, penitus extinxisset, atque in ejus tandem arbitrium omnis Sorabia venisset; militibus suis agros ex hostibus captos divisit, legemque dedit, ut pro patria, quoties opus esset, ad arma vocati, equis mererent. *Eaque ordinis*, dicente *Peifero, in Misnia Equestris origo est.*

§. 5. Sed cum illa seculi ruditate pauci essent, qui literis operam navarent, mirum videri haut potest, *Nobiles* quoque ab earum studio fuisse alienos; quippe quorum opera in bello magis, quam pace esset necessaria. Accidit tamen postea, cum ex Principum liberalitate *Capitula*, quæ vocantur, & Episcopatus multis augerentur bonis, ut *Nobiles* quoque ad literarum studia sectanda excitarentur. Quia absque illis, beneficiorum, ac dignitatum Ecclesiasticarum compotes fieri haut poterant. Atque inde in Nobilium ordine multi numerari cœperunt literati, qui omnia militiae cura, vel Canonici, vel Præpositi, vel Episcopi titulo insignes sacro ordini sese addixerunt.

§. 6. At-

§. 6. Atque hinc NOBILITAS in MISNIA etiam LITERATA celebrari cœpit. Equidem circa studia literarum non pauci scrupulum injecere; *an Nobiles illa deceant?* cum, dicente *Corn. Tacito*, illi potius in bello præsidium, in pace decus sint. Imo aliqui celebrem illum apud *Procopium Hist. Gothic. l. 1.* locum huc trahunt: *Multum abesse a virtute literas, & senili institutione dejici plerumque & ad metum incurvari indolem: Theudericum solitum dicere: Fieri non posse, ut qui didicissent flagra extimescere, ad contemptum ensium barbarumq; exsurgerent. Seneca in Hippolyto quoque asserit: Ingenia melius recta se in laudem ferre, si nobilem animum vegeta libertas alat.* Enimvero illi, qui talia in Nobiles literatos jactant, nescire videntur, quod cultura literarum vim generosi promoveat animi insitam. Et quanquam solæ literæ prudentiam & sapientiam non pariant, si quis minus benigna gaudeat indole, juxta veteris Poëtæ sententiam: *ὡς εἰδὲν ἢ μάθῃσις, ἢν μὴ ὕψος παρῆν.* *ut nihil est doctrina, si mens abfuerit:* non tamen ideo Nobili minus ornamento, aut utilis censenda est eruditio vera ac solida; dummodo cum Julio Agricola, ut in vita ejus *C. Tacitus* scribit, retineat, *quod est difficillimum ex sapientia modum.* Nam ut non omnibus omnia conveniunt; ita Nobili non omnes literæ, quæ in scholis vulgo traduntur, promiscue addiscendæ sunt. Prudentia quippe hic in docendo & discendo opus est, de qua viri gravissimi alias præcipere solent.

§. 7. Equidem non negarim, superioribus seculis, cum barbaries literarum in claustris & scholis regnaret, Nobiles etiam inscitia meliorum, inanes sæpe literas didicisse, quæ ad utilem & solidam rerum divinarum & humanarum cognitionem nihil conferunt. Verum istos conditio illorum temporum, quæ vegeta ingenia nugis exercebat aut detinebat argutiis scholasticis, excusat. De quo ipse Maximilianus I. imperator apud *Cuspinianum* f. 485. conquestus est. Ast redonata literis superiori ævo pristina luce, Nobiles quoque Misniæ nostræ melioribus istis literis, quæ ad culturam & perfectionem animi faciunt, usumq; in vita humana ac civitate præstant, operam impendisse, mox, cum illustria exempla adduxerimus, constabit.

§. 8. Faciemus igitur nunc duas LITERATORUM NOBILIUM MISNIÆ classes, ad unam relaturi THEOLOGOS, seu viros ecclesiasticos, ad alteram JURIS-CONSULTOS atque PHILOSOPHOS, nulla generis aut *antiquitatis*, aut prærogativæ, aut etiam meritorum habita ratio-

ne. Ne tamen omnia misceantur, nomina eorum secundum ordinem alphabeticum recitabimus, brevi interdum elogio addito. Cæterum vero LITERATIS accensemus non tantum, qui publicis scriptis inclaruere, sed etiam qui quasi latentes artes & scientias divinas ac humanas animo complexi sunt, aut patriæ eruditione sua, muneribus publicis fungentes profuerunt. Cujus generis multos adhuc nostra Misnia fovet viros exquisite doctos atque prudentia insignes. Nam hac ævi tempestate Nobili sæpe vitio verti in Germania solet, si eruditionem libris evulgatis ostendere velit suam, quæ consuetudo a quibusdam ad corruptos seculi nostri mores refertur. Quanquam etiam non omnibus per vitæ & muneris rationem vacet libros scribere; cum alia forte ratione Reipublicæ majora commoda afferre queant.

SECTIO II.

De

NOBILIBUS MISNIÆ LITERATIS AD ORDINEM THEOLOGORUM SEU ECCLESIA- STICUM RELATIS.

§. I. **H**is præmonitis, primo in scenam velut producemus *Theologos*, aut, qui ob officii rationem, illis in statu ecclesiastico æquiparantur. *Nobiles*, quique Misniæ ortum suum debent, aut sedem in illa nacti sunt suam. Quos inter primo loco, svadente sic *ordine*, quem observaturi sumus, *alphabetico* commendari meretur NICOLAUS ab AMSDORFF, e domo Gros-Zschepe in territorio Wurzensi prognatus, vir ad invidiam doctus. Is Wittebergæ Magister artium creatus, dein paucos post annos SS. Theol. Licentiatus publice renunciatus fuit. Pluribus deinde summa cum laude muneribus functus est. Canonicum enim & Professore Wittebergæ primum egit, postea a. 1542. ab Electore, Johanne Friderico Episcopi Cizensis & Numburgensis dignitate, rejecto Julio Pflugio, publice donatus est. Plurima eleganter congesta edidit scripta a Spangenbergio *P. II. Spec. Nobil. c. 18. f. 91.* enumerata. Non possumus, quin B. Lutheri encomium eidem publice tributum hic adscribamus: ait enim: *fuisse virum largiter a Deo optimis quibusvis donis condecoratum, sacris literis probe tinctum, inq, iisdem apprime versatum, adeo, ut omnes Pontificios facile superaret in divinis hisce studiis: vitam ejus non fuisse nisi sanctam*
E ho-

is honestam, pioque animi sui candore cæteris omnibus præfulsisse; paucis: juxta ipsius quoque S. Scripturæ normam, fuisse irreprehensibilem, v. præter. Spang. d. l. Albinum Chr. Misn. tit. 25. f. 348. Pantaleonis Prosopograph. P. III. f. 142. nec non B. Seckend. H. Lutb. qui de illo plura commemorat.

§. 2. E BERNSTEINIORUM nobili stirpe, literis sacris tincti memorantur WALZIG a BERNSTEIN, Theologus & Pastor Dippoldiswaldæ, qui anno 1383. vivere desit, v. Peccenst. Tb. S. P. I. c. X. fol. 93. HENRICUS a BERNSTEIN itidem sacerdos, memorante Peccenst. l. c. fol. 98. Celebrior est GEORGIUS HENRICUS a BERNSTEIN e domo Kertfoiz in ducatu Altenburgico, vir eruditus & cathedralis Magdeburgensis Ecclesiæ Decanus, qui hoc currentis seculi anno 70. vita excessit.

§. 3. Inter BEUSTIOS nobiles, celebrantur Theologi JOHANNES a BEUST, Episcopus Havelbergensis ante duo secula clarus, vid. Pecc. d. l. f. 115. Huic jungi meretur JOACHIMUS a BEUST, seculo superiori juris non tantum Doctor insignis, sed Theologus quoque eximius, quod libri ejus, qui noti satis sunt, testantur.

§. 4. Ex Misnica BOCKIORUM gente nobili, ad Theologos referendus est NICOLAUS a BOCK, & SIGFRIDUS a BOCK, antistites Camminenses in Pomerania facti. Alios hujus familiæ literatos Bockios meritis tam in Silesiam quam Misniam nostram, propter consilia celebres Spangenbergius P. II. Sp. N. f. 193. memorat atque laudat.

§. 5. Nobilibus Misniæ eruditus accensendus est quoque ALBERTUS de BORNIS vel BORN, quem Brotusius XXV. Episcopum Martisburgensem numerat: is anno 1226. in fata concessit. v. etiam Albinum Chr. Misn. f. 283.

§. 6. Ex generosa Nobilium de BOSEN familia, Theologis accensendus est JOHANNES BOSE, Episcopus Martisburgensis numero XXXIX. referente Albino in Chron. Misn. fol. 283. Dedit illa gens postea plures, qui Arte & Marte in aulis Saxonice inclaruerunt. Ex eadem stirpe genus suum ducit CAROLUS OTTO BOSE, qui Capituli Martisburgensis Canonicus & aulæ ibidem jam Consiliarius est.

§. 7. Familia BRANDENSTEINIORUM celeberrima non paucos literato orbi dedit Theologos. Quos inter numerantur CHRISTOPHORUS BALTHASAR, Canonicus Martisburgensis, & WOLFGANGUS

GUS OTTO a BRANDENSTEIN, vir, qui domi & foris, in scholis & Academiis optimis studiis deditus inclaruit, quique hoc etiam seculo adhuc venerabilis cathedralis Numburgensis Ecclesiæ Canonicus, laudem eruditionis consecutus est. v. de his Brandensteiniis totaque splendida hac familia *M. Michaël Pharetrati* tractatum annexum scripto *de Nobilitate in honore & pretio habenda.*

§. 8. Familiam Misniæ antiquitate nobili insignem illustrarunt, GÜNTHERUS a BÜNAU, Decanus Numburgensis, vir eruditus, qui renuisse scribitur Episcopatum Numburgensem sibi ab Electore Saxonie, Johanne Friederico oblatum a. 1542. v. *Seck. H. L. l. 3. §. 46. n. 7.* Hujus familiæ fuit etiam HENRICUS a BÜNAU, Canonicus Misnensis, cujus mentio fit apud *Seck. H. L. 3. 76. 10.* nec non alius ejusdem nominis HENRICUS a BÜNAU, Canonicus Numburgensis, qui electioni Julii Pflugii, Episcopi, interfuit, v. *Seck. l. 3. §. 96. 4.* Extitit etiam celebris RUDOLPHUS a BÜNAU, hoc nostro seculo Præpositus Eccl. cathedralis Misniæ, de quo Genealogia testatur Bünaviorum.

§. 9. Inter generosos CARLEVIZIOS famam eruditionis variæ consecutus est NICOLAUS a CARLEVIZ, qui Magister artium & Philosophiæ factus, Episcopatum deinde obtinuit Misnensem a. 1540. adducente *Peccenst. Tb. S. p. 1. fol. 107. & Spangenb. Sp. N. p. II. f. 190. b.* Numeratur ab *Albino Chr. Misn. f. 280. XLV.* Episcopus Misnensis. Egregia hujus CARLEVIZII mentio fit apud *Kirchner. Orat. de Princip. Nobil. & c. qui publice gradum assumerunt p. m. 36.* Huic statim ex recensione *Seck. H. Luth. l. 3. §. 72. n. 12.* addimus HENRICUM a CARLEVIZ, Canonicum Misnensem eruditione theologica & politica insignem, qui seculo superiori a. 39. in negotio Reformationis ad Henricum, Ducem Sax. ab Episcopo suo missus perhibetur. CHRISTOPHORUM a CARLEVIZ, Mauritii Electoris Sax. Consiliarium excellentissimum, quem *Sleidanus l. 16. p. m. 481.* ex nobilitate virum egregie doctum vocat, infra inter Politicos memorabimus.

§. 10. HUGOLDUS ab EINSIEDEL, itidem antiqua & generosa Misniæ prosapia oriundus, juxta *Peccenst. Tb. S. c. X. f. 77.* animo fuit tranquillo; hinc animum suum ad studia aptum optimis quibuscunque literis excoluit, quas Canonicus deinde Numburgensis factus, constanter amavit, donec a 1522. vita excederet. Ad Theologos ex hac gente referendus quoque est JOHANNES ab EINSIEDEL, Henrici, e domo Gmand-

Gnandstein, quinque Electoribus & Ducibus suum adprobavit ministerium, filius seculo superiorri clarus; vir quippe doctissimus, qui linguam Latinam, & quod mirandum, Ebraicam sine omni hæsitatione congrue loqui potuit. In sacris literis tantos fecit profectus, ut disputando pariter & scribendo de maxime arduis controversiis, cum doctissimis ævi sui Theologis conferre non dubitaverit. Obdormivit placide in domo sua Gnandstein, anno 1582. Vide *Peccenst. Th. Sax. f. 78.*

§. 11. Nec deest, qui ex Nobilium a GROSE familia, Theologum egit; nimirum DONATUS GROSE, qui a. 1519. Canonicus Numburgensis floruit, ad quem Leo X. Papa literas dedit: uti legere est apud *Seck. Hist. Luth. l. 1. §. 47. add. 2. d.*

§. 12. PETRUS ab HAUGWIZ, vel ut alias in publicis monumentis audit, HUGOWIZ, XXXIV. Episcopus Numburgensis, Decretorum Licentiatus, quem, autore *Albino Chr. Misn. f. 337.* Balbum cognominarunt: Cizæ vivis excessit a. 1463. De quo *Spang. S. N. p. II. f. 186. & Langius in Chron. Episc. Ciz. Confer etiam Kirchn. Orat. alleg. p. 31.* Huic demortuo successor datus GEORGIUS ab HAUGWIZ, vir summe doctus, orator facundus, qui antequam Episcopus fieret, Friderici II. Electoris Sax. Consiliarius atque Cancellarius fuit, referente *Peccenst. Th. S. f. 85.* Albinus eundem etiam nominat Canonicum Numburgensem, Martisburgensem & Herbipolensem, nec non Præpositum Misenæ, vel, ut alii volunt, in Hayn, Decanumque Cizæ. Eodem, quo Episcopus electus erat anno, 1463. diem suum obiit. CHRISTOPHORUS ab HAUGWIZ, Episcopi Cizensis Capitaneus, & Ecclesiæ Budisfinensis Præpositus, quem D. Bugenhagius ob veræ religionis amorem prædicat. Is morti vicinus prohibuit, ne sibi demortuo, ex more Pontificiorum haberentur vigiliæ, v. *Spang. f. 191.* ubi ipsi etiam tribuitur elegans *Dialogus de Canonicis*, qui cura Bugenhagii editus est. Animam Deo reddidit a. 1536. Confer *Pecc. f. 84.* JOHANNES ab HAUGWIZ, ultimus Episcopus Misenen-sis, numero XLIV. a. 1595. mortuus, vir eruditione pietatis ac justitiæ studio maxime illustris. Hic Augustanam Confessionem & Lutheri doctrinam amplexus, idolomaniam Pontificiam in dies magis detestari coepit, *Fiedler. Chron. Mogell. c. 40. & Fabric. Annal. Misn. f. 104. ejusdemque Orig. Sax. l. 9. f. 113.* JOHANNIS ERNESTI ab HAUGWIZ, etiam fit mentio apud *Peccenst. Th. S. f. 124. & 124.* sub nomine Præpositi Cizensis Capituli, ac viri eruditi.

B

§. 13.

tiam Moguntinus Canonicus; postea Leonis X. Papæ secretarius & Cubicularius, apud quem, ut & Clementem VII. Pontificem, singulari valuit gratia, dicente *Fabric. Ann. Misn. lib. f. 81.* Attulit Friderico III. Sapienti cognomine, Electori Sax. *Auream* ab ipso Papa consecratam *Rosam* a. 1519. ut adversus Lutherum opus Reformationis tum aggressum excitaret. Eodem quoque tempore habuit Colloquium cum Luthero Altenburgi. Huic Miltizio insigni eruditioni & eloquentia apud exteros celebri (cujus crebra mentio fit in historia Reformationis, v. *Sleidan. libr. II. Commentar. & Seck. H. L. libr. I. sect. 24. §. 47.*) Lilius Gregorius Gyraldus *librum de Sepulchris* dedicavit. Is anno 1529. Rheno submersus vitam finiit. vide *Spang. p. II. Sp. Nob. f. 189. v. Peccensf. Tb. S. p. I. f. 80. Albin. Chr. Misn. f. 341.*

§. 23. HIERONYMUS a MOLSDORF, alias WELLER, Theologis nobilibus jure meritoque annumeratur: cui a. 1535. Witteberga privilegia Doctoris Theologiæ concessit. Scripsit ille plures Commentarios in libros sacros, quorum Catalogum una cum toto ejus vitæ curriculo vide sis apud *Spang. Sp. N. p. II. f. 96. 97. sq. per totum caput 22. & Freherum f. 232.* Kirchnerus nominat ipsum Hieronymum Wellerum a Molsdorff. Huic addimus VINCENTIUM a MOLSDORF itidem, Theologum, juxta *Kirchnerum in Orat. Nobil. gradum assumendum p. 33.* summum, quem omnes Italiæ cathedræ docentem admiratæ sint. Subjungimus JACOBUM WELLERUM, ex eadem Molsdorffiorum profapia oriundum, Neukirchæ Variscorum 1602. patre Georgio Wellero milite natum, quem Witteberga a. 1627. titulo Magistri ornatum Facultatis Philosophicæ habuit Adjunctum primum; postea vero a. 1635. S. Theologiæ Doctorem creatum Linguæ Ebreæ ordinarium, Theologiæ vero extraordinarium constituit Professore. Fuit deinde Ecclesiarum Brunsvicensium Coadjutor & Superintendens per quinque annos; donec a Johanne Georgio I. Electore, a. 1645. Dresdam vocatus Concionatorem aulicum ageret supremum. Obdormivit Dresdæ anno 1664. ætatis 62. Scripta hujus viri eruditissima qui nosse desiderat, adeat *Pauli Freheri Theatr. Virorum eruditione clarorum.*

§. 25. Ex illustri PFLUGIORUM Stirpe prodiit JULIUS PFLUG, vir solidæ eruditionis laude conspicuus, qui, cum Bononiæ in Italia a. 1517. studiis operam navasset, inter doctissimos Episcopos nobiles sui ævi relatus fuit. Anno enim 1541. Episcopatum Numburgensem obtinuit, referente *Seck. H. Luth. l. 3. §. 90. 6.* quem postea, cum ante ejectus fuisset, favore

favore Cæsaris iterum recuperavit. *Fabricius* in epistola quadam ad *Hugoldum Sleinizium* de hoc *Julio* ita scribit: *Qui Patavii Lazarum Bonamicum audiens jam tum adolescens fuit in admiratione. Nec mihi temperare possum, quin ea, quæ excellens ille orator & Philosophus, Johannes Sturmius, de hoc nostro Pflugio ad Antonium & Philippum, fratres Wertheros scripsit - huc adscribam: Habetis, inquit, vos domesticum exemplum, in quo vere & clare illa elucent, quæ mihi non rectè tribuitis, humanitas, prudentia, doctrina, addo etiam eloquentiam: neq; enim existimo, in tota Germania quenguam esse, qui prudentius inveniat, purius eloquatur, & elegantius expoliat, id quod ex scriptis ejus facile animadverti potest &c.* Idem ad Antonium: *In Julio vero omnia illustriora sunt ornamenta industrie, prudentiæ, gravitatis, doctrinæ, vitæq; ejus quasi imago quædam est præclari viri, & vari atq; singularis ingenii. Oratio autem ejusmodi est, ut quæ ego in Ciceronis libris aliquando vobis indico, eadem in scriptis ejus possim demonstrare.* Scripsit librum de Republica Germaniæ seu Imperio constituendo, qui Antorffii Anno 1363. editus magni a literatis æstimatur. Nota quoque est oratio, quam in funere doctissimi præceptoris sui Mosellani conscripsit: nec latent Epistolæ ejusdem prudentia & elegantia refertæ. Obiit a. 1564. Plura de hoc illustri viro, qui scire avet, evolvet. *Albini Chr. Misn. f. 357. sq. Spang. Spec. Nobil. 192. Peccenst. Tb. S. f. 64 & Seckend. Hist. Luth.* Nobis enim non vacat dignum tanto viro elogium, hic concinnare.

§.25. JOHANNES a SALHAUSEN, Decanus primo, deinde VI. hujus nominis Episcopus Misnensis, successor datus Johanni V. a. 1487. de mortuo. Decretorum fuit Doctor, uti tradit *Fabric. Ann. Misn. sub anno 1487.* Laudat *Peccenst. in Tb. S. f. 105.* ejus dexteritatem in rebus ad religionem pertinentibus; addens eum fuisse virum ad spectu gravem, judicio prudentem, lingua facundum. Quale de Tezelio, impudentissimo indulgentiarum præcone monachisque tulit judicium, vide sis *d. l.* & apud *Fabric. l.c. sub anno 1508.* Præsulatu functus est per totos annos triginta, attigitque tempora illa, quibus B. Lutherus theses contra indulgentias publicavit. De quibus ipse sic sentiebat: *Stultos esse, qui pecuniam mitterent eam in cistam, cui referanda clavem non haberent.* Rebus mortali-um exemptus est a. 1518. v. *Joh. Fiedleri Mügl. Ehrensente p. 112.* qui hoc eum ornat epitaphio:

Me gens nobilitat *Salbusia*, plus ego gentem,
Me cathedra exornat Misnica, ego cathedram.
Pastorem agnovit Romana Ecclesia me, sed
Errores odi, pessima Roma! tuos:
Te meliore cibo Grex pascere curo: salutis
Heu! quantum moritur, me moriente, Tibi!

Plura de hoc Nobili Theologo B. *Jacob. Thomafius Dissert. Programmat. XXXVII.* in laudem hujus Salhusii scripto habet.

§. 26. Inclutum Pflugium hunc excipiat CASPARUS a SCHÖNBERG, e domo Reinsberga, vir singulari doctrina insignis. Floruit is seculo XIV. artium liberalium Magister primum deinde Decanus Capituli Misnensis factus, tandem a. 1451. ibidem Episcopatum obtinuit. Arbitri vices suscepit, cum Ladislaus Rex Bohemiæ & Fridericus Placidus, Elector Sax., de finibus contenderent, a. 1454. juxta *Fabric. Ann. Misn. f. 65.* Vitam ingenti sui desiderio ubivis relicto finiit a. 1463. v. *Peccenst. Tb. S. p. l. c. X. f. 57.* DIETERICUS a SCHÖNBERG, Præpositus Misnensis, denato fratri Caspari successor datus, vir gravis & ad miraculum, pro illorum temporum ratione doctus, in officio obeundo impiger, in luxuria & negligentia clericorum corrigenda strenuus, parcus in victu, per omnia simplex ac rectus, Deum timens, quique parva familia contentus optime rexit, judicio *Pauli Langii in Chron. Citic. f. 868.* Jurisprudentiæ in Italia operam ante navaverat, ex qua bibliothecam instructissimam codicibus Manuscriptis constantem in Germaniam attulit, ut *Albinus Chr. Misn. f. 341.* memoriæ prodidit. Fato functus est anno 1476. v. *Peccenst. p. I. Tb. S. f. 57.* Alius hujus nominis DIETERICUS a SCHÖNBERG a. 1481. electus est Episcopus Numburgensis & Cizensis, juxta *Langii Chron. Citic. f. 874.* Fuit vir moribus præclarus, in jure Canonico apprime doctus; strenuus & rigidus justitiæ cultor, divini servitii promotor zelosus, temporalium moderator rerum sat peritus, cui semper eruditus & Latinus cum viris religiosus & sapientibus erat sermo. Mortuus est Cizæ in castro anno 1492. ibique sepultus in Ecclesia Basilica. vide *Peccenst. Tb. S. c. X. f. 57.*

§. 27. JOHANNES a SCHÖNBERG, ante nominati Casparis ex fratre nepos, vir, juxta *Langium l. c. f. 883.* statura procerus, corpore robustus, capite & cervice pingui, facie formosus, capillo candidus, & cunctis membris concinnus &c. Lipsiæ studiis incubuit, dein Collegio Canonorum Numburgensium fuit adnumeratus; postea Coadjutor patrum

patru; & hoc mortuo, Episcopus a. 1492. Hunc honorem Ernestus, Dux Sax. Archi-Episcopus Magdeburgensis, presentibus Friderico & Johanne, fratribus Sax. Ducibus, solenni ritu ipsi contulit, Quam laudabiliter se in Præfulatu suo gesserit, *Langius* commemorat. Vitam cum morte mutavit a. 1517. haut sine lacrymis subditorum, a quibus vivus nullum exegisse fertur tributum. confer *Spangenberg. Sp. Nob. f. 187.* Huic statim adjungimus duos ex familia Schönbergica, qui Abbatum insigniti titulo dicuntur *Peccensteinio f. 57.* Unus est *Georgius*, Abbas Monasterii Grunhainensis, ordinis Cisterciensis: Alter *Conradus*, Abbas in Veteri-Cella, Monasterio ad Muldam sito, & ab Ottone divite, Marchione Misniæ anno 1162. exstructo.

§. 28. Omnes ante se claros & doctos Schönbergios NICOLAUS a SCHÖNBERG a. 1472. d. 8. Octobr. natus patre Dieterico, e domo Reinsberg, superavit. Quem summa in theologia scientia, singularis in in jure Canonico & Civili memoria, arcanorum politicorum notitia & & insignis eloquentia, ab uno ad alium dignitatis gradum evexerunt. Juris prudentia dedit Bononiæ a. 1495, ipsi titulum Doctoris; Theologia anno 1495. ipsum consecravit Ordini Prædicatorum S. Marci Florentiæ, paulo post Generalem sui ordinis Romæ, Archi-Episcopum Capuanum & tandem Cardinalem T. S. Xysti anno 1535. pronunciavit. Paulus III. Papa, Leo X. & Clemens VII. adhibuerunt eum consiliis secretioribus. Non capit angusta hæc pagina, præclara nimis viri hujus elogia prope modum universo orbi notissima. Sufficiat igitur in laudem ejus hic tantum adduxisse verba *Augusti Buchneri Orat. Paneg. X.* in Friderici Metfchii memoriam dicta: *Quis, inquit, in superiorum temporum historia tam hospes est, qui non de Capuano quodam haut pauca ibi, nec sine laude meminerit reddi? Hic Nicolaus ille Schönbergius est, ex Suevis Misnensibus, ut tumuli titulus, nec imperite, prædicat: qui amplitudine ingenii, eloquentiæ efficacia, varietate doctrinæ, & maximarum rerum usu primas id temporis in Italia, cui dederat civem, facile tenuit: iisque emeruit rebus, qui Generalis non modo Dominicanorum Ordinis Romæ, sed post amplissimas etiam legationes, quibus ad omnes ferme Europæ Reges defunctus nobilissime est, Archi-Episcopus Capuæ, ex quo accepit cognomen, crearetur, mox sub Paulo III. ad ipsam Cardinalitiam purpuram aspiraret. Plura qui de Nicolao hoc clara clarorum virorum desiderat encomia, adeat *Orationes ejusdem V.* olim coram Julio II. Pontifice recitatas, opera *Dissertationis hujus meæ Præfatis* cum præfatione & elogi-*

is ejus recusas hic Lipsiæ 1684. Vivere illæ Romæ 5. Idibus Septembr. anno 1537. desiit. Ubi quoque extra fores Ecclesiæ S. Mariæ super Minervam prope Card. Cajetanum, amicum suum, conditus est hac inscriptione addita: *Hoc vili, quem a tergo, lector, habes tumulo, conditus est is, in quo mirarum peritia, Catholica doctrina atq; religio fuit, Nicolaus Schönbergus, natione Suevus, ordinis Præd. Cardinalis Capuanus, a Paulo III. Pontifice Max. creatus, quem nobilem genere ipsa nobiliorem dedit virtus, qui tanto majori laude post mortem efferendus est, quanto ipse moriturus eam fugere curavit, v. Ambrosium de Altamura in Biblioth. Dominicana an. 1677. Romæ edita f. 27. ubi plura lectu digna de magno hoc Schœnbergio ejusque scriptis eruditis reperire licet. Commemoratur is inter alia parum abfuisse, quin defuncto Clemente Papa, (quod & in comitiis evenerat Adriani) ipse nondum Cardinalis, in supremum Ecclesiæ R. caput assumeretur. Conf. Spangenberg. Tom. II. Sp. Nob. f. 196. b. Albin. Chr. Misn. f. 340. sq. Peccenst. Th. S. f. 57. Seck. H. Luth. libr. 3. sect. 32. §. 2. nec non M. Pauli Martini Sagittarii (fautoris, dum viveret, mei plurimum honorandi quem nuperrime defunctum una cum clarissima familia lugent adhuc multi boni) Splendor Familiæ Schönbergicæ, in quo plures eruditi Schönbergii laudantur.*

§. 29. GREGORIUS a SCHOENFELD, natus a. 1559. In Schola Septemvirali ad Albim, cura Matthiæ Dresseri educatus eos fecit studiorum progressus, ut summa laude Wittebergam missus brevi Philosophiæ Magister renunciatus fuerit publice: anno demum 1591. insignia Doctoris Theologiæ solenni ritu ei collata sunt, cum Ecclesiæ Delitiensis Pastor & Ephorus factus esset. Postea Christianus I. Elector Sax. eundem in aulam suam vocavit Concionatorem atque Superintendentem dioceseos Dresdensis. Deinde ob turbas in religione enatas, Concionator aulae Caselanae factus Landgravio Wilhelmo, apud quem ut & Mauritium, magni habitus est; quippe a quo etiam Collegii Adolphici Mauritiani A. 1608. primarius Theologiæ Professor, & triennio post Consistorii Ecclesiastici Præses electus est. v. Paul. Freberi Theatr. Vir. Erud. f. 408.

§. 30. Ex incluta SLEINIZIUM Misniæ familia, nobis primo occurret JOHANNES a SLEINIZ, vir singulariter eruditus, qui in Italia Decretorum Doctor renunciatus, Episcopus postea Cizensis & Numburgensis factus est, referente Spangenberg. p. II. Sp. Nob. f. 186. Peccenst. P. I. Th. S. f. 69. scribit, ipsum quatuor tantum annos Episcopatum gessisse

fisse non sine laude prudentiæ exquisitæ; mortuum vero a. 1434. Cui in eodem Episcopatu successit PETRUS a SLEINIZ, quem *Albinus f. 285.* Petrum ab Haugwiz. Lic. Decretorum, fuisse mavult, anno 1463. clarus. Non minore laude fertur JOHANNES de SLEINIZ, Eques, Præpositus Cathedralis Misenæ & Budisinæ, qui Orator excellens fuit. Floruit circa tempora Friderici Bellicosi Electoris, cujus etiam Consiliarius Concilio Constantiensi a. 1414. interfuit. v. *Peccenst. d. l. f. 68.* Ejusdem nominis & famæ fuit JOHANNES a SLEINIZ, e domo Ragewiz, Canonicus primum Misenensis, dein Episcopus ibidem num. XLIII. vid. *Albin. Chr. Misn. f. 280.* Cui in Annalibus Episcoporum hoc tribuitur elogium, quod gravis pietate, prudentia conspicuus, eruditione clarus & orator, elegans & disertus fuerit. v. *Peccenst. Th. S. f. 70. & Seck. H. Luth.* qui plura de eodem memorat; cum tempore Lutheri vixisset, libr. I. §. 130. Add. i. Plures ex Sleiniziorum stirpe eruditos Canonicos recenset *Peccensteinius:* ut HENRICUM, Abbatem & Archi-Diaconum Regii Monasterii Chemnicensis: EMERICUM Præpositum Cathedralis Misenensis & Pragensis Ecclesiæ: EHRENFRIEDUM, Præpositum ad S. Affram Misenæ: GEORGIUM atque WOLFFGANGUM, Præpositos atque Canonicos Misenenses doctos, in *Theatr. Sax. P. I. c. X. f. 70. sq.* VINCENTIUS a SLEINIZ, Episcopus Mersburgensis in Theologia Pontificia probe versatus, examinavit cives Lipsienses de Lutheranismò suspectos anno 1533. v. *Seckend. H. Luth. l. 3. §. 21. add. l. b.* cui jungi potest VOLRADUS a SLEINIZ, Canonicus Numburgensis a. 1542. non incelebris. Cujus mentionem facit *Seckend. l. 3. §. 96. n. 4. f. 388.*

§. 31. JOHANNES a STAUPIZ, S. Theologiæ D. Augustinianorum in Germania Vicarius Generalis a. 1516. constitutus; Academiae Wittebergensi Confirmationem, a Papa Romano ipse attulit: Lutherum evocavit Wittebergam anno 1508. Diligens extitit studiorum promotor atque commendator apud Electorem, Fridericum Sapientem. Singularis fuit magni Lutheri amicus, curamque pro eo gessit strenue, ac ipsum Augustæ a. 1518. in Colloquio cum Cajetano ab obedientia absolvit. Abbas deinde Salisburgensis factus S. Petri, moritur a. 1524. allegante *Seckend. H. Luth. l. 1. §. 37. add. 2. (c) (d)* Confer *Albin. Chr. Misn. f. 339. & Kirchner. Orat. supra alleg. 38.*

§. 32. NICOLAUS a STEIGE, J. U. D. & Canonicus Freibergensis, quem *Spangenbergius part. II. Spec. Nobil. f. 91. b.* laudat quod diligenter

C

genter

genter lectionibus D. Hieronymi Welleri interfuerit, ut in S. Theologia proficeret magis.

§. 33. LEVINUS de VELTHEIM, Doctor & Canonicus Hildesheimensis, cujus consiliis aliquot Principes usi sunt. Vixit circa annum 1515. v. *Spangemb. Sp. N. p. II. f. 189.* Juxta eundem quoque autorem in *Cbron. Mansfeld. p. I. f. 407. b.* Praepositus fait Cathedralis.

§. 34. WEISENBACHIORUM gentem nobilem illustravit HEINRICUS a WEISENBACH, Theologus & Canonicus Misnensis a. 1360. clarus: item REINHARDUS a WEISENBACH, Praepositus Cizensis, seculo XV. celebris, quod ex Genealogia ejus constat.

§. 35. Interliteratos WAHRENSES, celebratur VARINUS a WAHREN, circa annum 974. Archi-Episcopus Coloniensis ab Ottonne II. Imperatore, cujus filii, Ottonis III. studia moderatus erat, constitutus. HENRICUS alius hujus stirpis a WAHREN, ab *Albino in Cbr. Misn. p. I. f. 283.* inter Episcopos Mersburgenses numeratur, ad quam dignitatem seculo XIII. circa annum 26. euectus creditur.

§. 36. Non praetereundus est hic BERNHARDUS a ZIEGLER, e domo Gaerniz, juxta *Spang. & Albin.* primum monachus Ordinis Bernhardinorum, deinde SS. Theol. Doctor, Lipsiae Linguae Ebraicae Prof. Publ. & Assessor Consistorii, ut *Seckend. H. Luth. lib. 3. §. 110. add. (a) testatur.* Linguarum, praecipue Hebraicae, fuit callentissimus. Natus a. 1496. d. 10. Novembr. prout *Albinus* autor est, & denatus Lipsiae anno 1552. aetatis 56. Edidit Propositiones de Sacramento Altaris: item de dicto Joh. XV. *Si quis medillgit* 1549. scripsit quoque orationem quandam sub nomine Basilii: item Orationem de necessaria conjunctione Scholarum cum ministerio Evangelii, quae reperitur *tom. III. declamationum Philippi Melanchthonis.* Quanti eum B. Lutherus aestimaverit, videre licet apud *Spangemb. Sp. N. p. II. libr. 7. c. 21. per totum.* Meminit ejusdem *Albin. Chron. Misn. f. 352. Peccenst. Tb. S. f. 82. Seckend. H. Luth. l. c.*

SECTIO III.

De

JURIS-CONSULTIS ET PHILOSOPHIS NOBILIBUS MISNIAE.

§. 1. Enu-

§. 1. **E** Numeratis jam Nobilibus, quos partim propter studia, partim propter functionem ad Theologorum classem referre placuit; pergimus nunc ad alteram, nimirum JURIS-CONSULTORUM & PHILOSOPHORUM classem. Plurimi enim de generosa stirpe adprobarunt juris scitum, quod turpe sit Patricio & Nobili viro jus ignorare, *l. 2. ff. de orig. Juris.* Primus autem hic ex nobili BERNSTEINIORUM familia qui inclaruit literis, prodeat WENCESLAUS a BERNSTEIN, Petri filius, qui ambo in schola Jurisconsultorum ob egregium Juris notitiam, Doctoris titulum seculo XIII. meruerunt, teste *Spangenbergio Sp. Nob. p. II. f. 197. Peccenst. f. 92. Albin. f. 339.* Eodem titulo HENRICUS a BERNSTEIN insignitus legitur, qui simul artis medicæ peritus fuit; uti constat ex *Peccenst. Tb. S. f. 94.* Decessit anno 1407. Seculo superiori PETRUS a BERNSTEIN, tantam sibi comparavit Juris scientiam, ut Bononiæ Italorum summam Doctoris lauream meritus sit. Reversus deinde, Bogislai Pomoranorum Ducis primo, postea Georgii Saxonix Ducis, Consiliarius factus est. vid. *Peccensteinium, Spangenberg. & Albinum locis supra allegatis.* Celebrantur præterea ex eadem prosapia doctissimi viri JOHANNES CHRISTOPHORUS ejusque filius JOHANNES GEORGIUS a BERNSTEIN, Domini in Porten: qui Electorum Saxonix Johannis Friderici, Mauritii & Augusti consiliari fuerunt; item JOHANNES qui colloquio Altenburgensi, jussu Electoris Augusti interfuit, vid. *Peccenst. l. c. f. 101. & Fabricius Orig. Sax. l. VIII. f. 64.*

§. 2. Ex BEICHLINGIIS generosis, Misnix Nobilitatem literatam hodie ornat HERMANNUS GODOFREDUS a BEICHLING, *Ser. Electoris Sax.* primum aulae consiliarius præclare meritus; deinde Protosynedrii Dresdensis & Curix supremæ provincialis, quæ Lipsiæ est, Præses, vir animi moderatione & jurium scientia maxime insignis.

§. 3. WILHELMUS a BETSCHWITZ, vel, ut alias nominari amat, BETSCHIZ, filius Nicolai excellens, J. U. D. quem Elector Saxonix Fridericus III, hujusque frater Johannes, Consilarii honore condecorarunt, magnique semper æstimarunt. Vivere ille desit anno 1517. uti videre est ex inscriptione ejus sepulchrali Misenæ, cœu *Albinus f. 338.* testatur. Qui eum etiam Canonicum Misnensem atque Numburgensem fuisse affirmat. Vide *Spang. Sp. N. f. 189.*

§. 4. Nobilis quoque BOXDORFFIORUM familia, quæ in Saxonia & Misnia clara fuit, Jurisprudentiæ studio eminuit. Nam DIETERICUS a BOXDORF, anno 1439. Lipsiæ Juris lectorem aut professorem ordinarium egit magna cum laude: Tandem ad dignitatem Episcopalem Cizens. & Naumb. euectus anno 1463. tradente *Spang. T. II. Spec, Nob. f. 186. Albinus Chron. Misn. f. 337.* titulum Doctoris Juris ipsi tribuit. Reliquit literaria monumenta, quæ adhuc extant: Additionem Speculi Saxonici, Remissorium in idem, in Jura municipalia, Lecturam super Decretalibus, & Orationes Scholasticas plurimas, referente *Joach. Job. Madero in Centuria Scriptorum insignium. XXI. vid. Freberum fol. 793.* DAMIANUS, vel, ut alii scribunt, TAMNO de BOXDORFF. Canonicus Martisburgensis, Vir insigni eruditione præditus, scripsit Remissorium in Spec. Sax. a Dieterico de Boxdorff jam nominati in lucem editum; item Regulas successionis, nec-non Arborem Affinitatis. Laudatur ejus exquisita legum notitia a *Spang. Sp. N. f. 190.* ut & ab *Alb. Chr. M. f. 337.*

§. 5. Inter generosos literatos Nobiles a BRAND celebratur FRIDERICUS a BRAND, quem suum Curia Provincialis, quæ Wittebergæ floret, anno 1529. recepit assessorem, uti *Beierus in Syllabo Rectorum Jenensium p. 634.* annotavit. Arbiter deinde cum aliis constituitur, inter Electorem & Georgium Sax. Ducem anno 1536. vid. *Seckend. H. L. III. XLVI. Add. l. g.* Nec minorem laudem meretur, JOHANNES FRIDERICUS a BRAND, Dominus Langenleubæ & Kleinæ, qui Principum Saxo-Altenburgicorum intimus fuit consiliarius, ac Curia provincialis, quæ Jenæ est Præses; Vir genere, virtute, ingenio, Sapientia Jurium cognitione & dignitate nobilissimus, quem omnes boni magni fecerunt. Vitam finiit anno 1658. relictio filio CHRISTIANO FRIDERICO a BRAND, Consiliario Christiani, Ducis Saxo-Eisenbergensis non incelebri. RUDOLPHUM a BRAND, ab elegantiori literatura *Buchnerus epistola 49.* laudat.

§. 6. Inter Nobiles BRANDENSTEINIOS laudem Jurisprudentiæ consecuti sunt SIGISMUNDUS a BRANDENSTEIN, Dynasta in Neudeck, intimus Electorum atque Ducum Saxoniae Consiliarius, Curiaque provincialis quæ Wittebergæ est, Præses. EO BALDUS a BRANDENSTEIN, civili & Jurisprudentia clarus, Præfectus Viniariensis, visitator fuit Ecclesiarum Saxonicarum anno 1528. & iterum anno

no 1533. strenue semper consiliis suis ac ministerio adstitit Johanni Fride-
rico, Electori: cujus jussu interfuit Conventui Mülhufano anno 1532. Ar-
bitri quoque vices in se suscepit cum aliis inter Electorem & Georgium,
Saxoniae Ducem. De quibus omnibus passim memorat *Seckendorff. Hist.*
Luther. ESAIAM a BRANDENSTEIN, El. Sax. Joh. Georgii I.
Consiliarium intimum, propter eruditionem & prudentiam laudat *Peccen-*
steinus Theatr. Nobilit. Sax. c. 18. JOH. JOACHIMUS a BRAN-
DENSTEIN, L. Baro & Consiliarius Caesaris factus etiam literatis ac-
cenfetur. CAROLUM, primum Comitem a BRANDENSTEIN,
primum Elect. Sax. Joh. Georgii I. deinde Regni Sveciae Consiliarum &
Legatum, *Weckius in Chronico Dresdens. p. 262.* describit. Nostro tem-
pore inter eruditos BRANDENSTEINIOS excellit GEOR-
GIUS ABRAHAMUS, aulae Martisburgensis Vice-Cancellarius
gravisimus.

§. 7. Jurisconsultus ex BREITENBACHIIS, JOHANNES
a BREITENBACH celebratur: qui circa annum 1476. claruit; vir
in omni humanioris doctrinae genere, in juris imprimis subtilitatibus ver-
fatisimus. Quem adolescentem Itali in publico fori circo cunctis se-
suae facultatis coetaneis de quibuslibet juris energiis responsurum, ultro
exponentem admirati sunt. J. U. Doctor factus, Ordinarii Juridicae Fa-
cultatis XX. fere annos simulq; Consulis Lipsiensis munus gesit. Vid.
Spang. T. II. f. 187. Albinus in der Land Ehr. f. 337. Maderus in Centuria
Scriptorum insignium Lips. num. 42. & qui ex hoc excerptit, *Freberus in*
Theatr. Vir. erud. clar. fol. 799. Scripsit elegantem tractatum contra Indul-
gentias, referente *Seckend. H. Luth. I. VI. add. II. c. seqq.* Extant etiam,
referente *Frebero*, Lecturae super Decretales; item liber pro Divae Virgi-
nis conceptione. Anno 1498. inclaruit BERNHARDUS a BREI-
TENBACH, Nobilis itidem eruditus & historicus excellens, longa-
que peregrinatione, quam anno 1483 cum aliis duobus illustribus viris sus-
ceperat, celebris: cujus Itinerarium Sanctum Idiomate latino, quod olim
magni habitum extat. *Albin. f. 338.* Canonicus fuit Moguntinus ibidem-
que etiam Decanus atque Camerarius. De quo plura qui desiderat, adeat.
Spang. Sp. N. p. II. f. 187. Huic jungendus est GEORGIUS a BREI-
TENBACH, Doctor atque Professor Juris Lipsiensis, qui operam suam
Georgio Duci Saxoniae, Lutheri Reformationi obnitenti, primum in exa-
mine civium Lipsiensium Lutheranismi suspectorum aequae ac in legatione:

ad Electorem in causa Lutheri, strenue præstitit: Postea vero Reformationi sese submitit, ut videre est apud *Seckend. in H. Luth. Spangenb. p. 11. f. 195.* laudat CÆSAREM a BREITENBACH, Dynastam Köttsch-witii, qui linguæ Græcæ callentissimus, nec non multæ lectionis studio anno 1551. clarus fuit.

§. 8. Ex Marchica gente nobili, in Misniam translatus HENRICUS a BüLOW. J. U. Doctor & Consiliarius Saxonicus factus, ab eximia doctrina & eloquentia, seculo superiori laudatus fuit.

§. 9. E BüNAVIORUM generosa stirpe, ævo superiori ob scientiam juris & rerum gerendarum prudentiam incluti fuere duo RUDOLPHI a BüNAU: qui in aula Augusti & Christiani I. & II. Elect. Sax. magnis dignitatibus gaudentes, de patria præclare mereri studuerunt. Ante illos GÜNTHERUS a BüNAU jurium Doctor & Protonotarius sedis Apostolicæ anno 1490. clarus extitit. Qui bullam jubilei in Misniam attulit, apud *Mollerum in Analibus Freiberg. Peccensteinus f. 53.* alium etiam hujus nominis virum magnis ingenii dotibus & doctrina præditum laudat, qui circa primordia hujus seculi, in aula Electorali inclaruit. *Spangenbergius Sp. N. part. II. f. 187.* BURCKARDUM a BüNAU ab eruditione & judicii acumine laudat, qui anno 1486. celebris extitit. Merita Bünaviorum *B. Seckendorfius in Hist. Luther. l. CX. recenset. Add. II. b. & II. XXXIV. Add. II. a.* Ex publica Genealogia quosdam hujus familiae illustres viros annotavimus, quos studia literarum reddidere celebres; ut HEINRICUS a BüNAU, quem Christianus I. Elector Saxonum, habuit in Consiliis, Toparcha fuit Nedeschiz & Goldbach. Alium hujus nominis, toparcham Elsterbergæ, consilia dedisse Electoribus Saxonis affirmat Concio funebris Sophiæ Elisabethæ ab Ende. Celebris etiam fuit HENRICUS a BüNAU, Drebensis Dominus, Electoralis Consiliarius, & Colditzensis præfecturæ Capitaneus. Nec defuerunt, qui hoc nostro seculo ex splendida hac Nobilium stirpe literis inclaruerunt: ex quibus RUDOLPHUS a BUNAU Toparcha Drebensis, qui Consiliarius Saxo Altenburgensis atque Dornburgensis præfecturæ præpositus commendatur, quem fata abstulerunt anno 1648.

§. 10. Inter BURCKERSRODIOS Misnia doctos prædicat, *Job. Fridericum* consiliarium Sax. & Numburgensis Ecclesiæ Præpositum. Ejusdem nominis BURCKERSRODIUS LIBER BARO factus, Elect. Sax. consiliarius intimus nostra ætate celebris fuit. Adhuc TOBIAS DIETE,

DIETERICUS a BURCKERSRODE Martisburg. aulae consiliarius & curiae provincialibus Assessor juris scientia inclutus est.

§. II. Ex incluta CARLWIZIORUM gente Politici pariter ac Juris Consulti inclaruerunt, GEORGIUS a CARLOWIZ, qui quantus ingenio & arte fuerit, colligi potest ex plurimis iisque non parvi momenti functionibus, quibus Principibus Sax. suam adprobavit industriam. Primarius fuit Georgii, Saxoniae Ducis Consiliarius, a quo anno 1524. ad Electorem Sax. in causa Lutheri & Munzeri missus, arbiterque inter Electorem & Georgium constitutus fuit: colloquium cum Pontano de religione anno 1539. habuit, post obitum Georgii, Mauritius, Dux Saxoniae eundem ad comitia Norimbergensia anno 1543. ablegavit, vid. *Seckend. H. L.* Majorem celebritatem tum ob eruditionem tum prudentiam singularem adeptus est, CHRISTOPHORUS a CARLOVIZ, natus in Rotenhaus in Misnia 14. Dec. anno 1507. Lipsiae deinde traditus disciplinae Petri Mosellani una cum Julio Pflugio, tantos eruditionis fecit profectus, ut paucos pares, neminem vero inter nobiles superiorem haberet. Anno 1539. a Principibus Saxoniae, Georgio & Henrico in aulam adscitus a consiliis iisdem fuit. Postea Mauritius, Elector eodem usus est Oratore, Consiliario & Capitaneo in duabus praefecturis Lipsiensi & Zorbicensi. Mortuo Mauritio, Augustus Elector, eundem sibi a consiliis esse voluit intimis. Quatuor etiam Caesaribus; Carolo V. Ferdinando I. Maximiliano II. & Rudolpho II. fidem suam legatus, orator & Commissarius adprobavit. Legationes enim obiit varias, juvenis a Duce Georgio in Angliam missus est, in Poloniam cum Comite Barbiensi. Imprimis autem in bello Smalcaldico anno 1547. prudentia ipsius eminuit, cum pericula maxima subiret pro patria & plurimis Principum consiliis interesset. Jussu Mauriti Comitia Ratisbonensia adiit anno 1546. notante *Seckend. H. L. CXXIV. Add. I. f.* Expeditionibus etiam aliquot Martis aleani expertus est, suaque virtute Equitum Auratorum dignitatem haereditariam familiae suae impetravit. Perpetuus, dum viveret, amicus literatorum fuit, quid? quod decus Misniae literatae. Non possum, quin Melanchthonis de eo huc adponam iudicium: *Carolovicius, inquit, mihi videtur non minus iudicii asferre ad Ciceronis eloquentiam effingendam ejusque oratio est nervosior: Latine exacte callet, in juris prudentia feliciter versatus est, ad haec iudicii sobrii, moribus commodis, nihil habens, neque fuci neque supercilii &c.* vid. *Spangenberg. Sp. N. f. 191. & Peccenst. Th. S. f. 108. & Mag. Salium*, qui vitam hujus Christophori prolixè descripsit. §. 12.

§. 12. Eruditis Misniæ Nobilibus accensendus est GEORGIUS a COMMERSTÆD, natus anno 1498. 28. Martii, referente Albino, f. 346. Doctor deinde factus in aula primum Georgii & Henrici, fratrum, Saxoniae Principum, deinde Mauriti & Augusti, Electorum status Consiliarium egit multis annis. *Fabricio teste exemplum humanæ fuit felicitatis, verba ipsius hæc sunt: Fuit eccellente dignitate tota vita præditus & Ducum Saxoniae quatuor Consiliarius, fortunæ inter homines felicitis exemplum.* vid. *Albin Chron. Misn. f. 346.* ob merita in Scholas & Academiam Lipsiensem, Georgius Agricola pariter & Fabricius eundem celebrat. HIERONYMUS a COMMERSTÄD Georgii fratris ex Johanne nepos, quem Doctorem Juris fuisse *Albinus* memorat, Canonicus præterea & Misnenensis & Martisburgensis erat non exiguæ famæ. Memoria tam eximia polluit, ut sæpe, si res ita postularet, non præmeditatus de gravissimis negotiis coram Principibus perorârit, & diserte responderit, v. *Freberum in Theat. Virorum eruditione clarorum ex Melch. Adami Vitis Jctorum. fol. 842.*

§. 13. MELCHIOR a CREUTZEN inter Misniæ Nobiles relatus, Vir optimis literis deditus, in Jurisprudentia apprime versatus, Doctor Juris utriusque publice renunciatus legitur. Præfectus deinde Coldizensis factus, legati munus in se suscepit ab Electore Joh. Friderico ad Henricum Pium, Ducem Sax. ut foederi Smalcaldico se associaret, missus. Visitatorem postea ecclesiarum in ditionibus Henrici, Ducis Sax. anno 1539. egit. De quo *Seckend. Hist. Luth. III. LVII. I. & III. LXXII. 12.*

§. 14. Ex DISKAVIORUM stirpe *Peccensteinus* inter alios literatos duos OTTONES a DISKAU prædicat, quorum uterque pater & filius magnis in Electorum Sax. aulis honoribus præfulsit. Pater enim Joh. Friderici Elect. consiliarius statûs aulaeque magister; Filius autem Augusti & Christiani I. Elect. consiliarius intimus fuit. confer *B. Seckendorf. Hist. Luth. I. III. XLVI. Addit. 1. 9.* Plures in Genealogia Diskaviana eruditi memorantur, quas hic memorare brevitatis studium non permittit.

§. 15. Inter Nobiles a DÖHLAU literis claritatem obtinuerunt JOACHIMUS a DÖHLAU, Elector. Sax. Christiani II. Consiliarius, circa finem seculi superioris clarus. Hujus filius JOHANNES CHRISTIANUS a DÖHLAU, tempore Johannis Georgii I. celebris, supremarum Appellationum Consiliarius fuit. Vivere desiit anno 1662. Hunc excepit JOHANNES GEORGIUS a DÖHLAU, qui Elector. Sax. Aulae consiliarius tandemque Vice-Cancellarius audiit. §. 16.

§. 16. DÖRINGIORUM nobilitatem primum maxime illustravit DAVID DÖRINGIUS J. U. Doctor, Comes Palatinus Cæsareus & Elect. Sax. Joh. Georgii I. Consiliarius Camerae in primis celebris: cujus eruditionem variam Bibliotheca Jctorum Theorico-practica arguit. Hujus filii & nepotes literarum studiis quoque inclarescere studuerunt. Quemadmodum DANIEL DÖRING consiliarius & Vice-Cancellarius regiminis Episc. Wurcensis eruditione insignis fuit. Cujus filius *David Wolfgangius* in eodem regimine jam consiliarium dexterrimum agit.

§. 17. Generosum EINSIDELIORUM genus multos numerat insignes Politicos & Jctos. Inter quos primo loco commendari meretur HENRICUS ab EINSIEDEL, Hildebrandi celeberrimi illius Equitis, qui tempore Frieder. II. Electoris Sax. clarus fuit, filius. Hic teste *Peccensteinio Theat. Sax. P. 1. fol. 77.* Ernesti, Electoris Sax. ejusque fratris, Alberti, Ducis Saxoniae, intimus fuit Consiliarius: summa ejus eruditio, propter quam laudatis Principibus ad prime charus fuit, laudatur. Senex tandem 72. annorum placide obdormivit anno 1507. in domo sua Ggrandstein, relictis filiis, qui paternarum virtutum vestigiis laudabiliter instituerunt. HENRICUS, vel ut alii habent, HENRICUS HILDEBRANDUS ab EINSIEDEL, jam nominati Henrici filius, paternae virtutis æmulus a teneris optimis studiis deditus, tantos fecit profectus, ut deinde quoque Electorum atque Ducum Saxoniae Consiliarius fuerit, plurimasque legationes summa cum laude obierit. *Peccensteinius l. c. f. 78.* constantiam ejus in Lutherana religione his effert laudibus; quod pro testamento Christi etiam cum sanguinis & vitae periculo cuncta adire paratus fuerit, cum propter susceptam Lutheri doctrinam, odium Georgii Ducis Saxoniae incurrisset. Crebra ipsi fuerunt cum Luthero atque Melanchthone literarum commercia, interque Ecclesiarum Saxonicarum visitatores, anno 1528. ab Electore tunc temporis constitutos numeratur ab *Hist. Lutheranismi illustri autore. Libr. II. §. XXXVI. n. 2.* Denatus traditur a *Peccensteinio* anno 1537. Hujus Henrici non exigua felicitas fuit, quod plures eosque optimae frugis filios moriens post se reliquerit, quorum aliquot tantum recensimus. HENRICUS ab EINSIEDEL modo commendati parentis filius, vir exquisitis literarum studiis clarus, quae variis in Academicis, & intra & extra patriam celeberrimis sibi comparavit: Augusto Electori Sax. fuit a consiliis, Scabinatumque qui Lipsiae floret, ornans. Vitam Salitii, a. 1559. finivit. Legati munere functus est Augustae Vindelico-

D

rum

rum in Comitibus Imperialibus. Philippus Melanchthon peculiare idq; elegans epigramma in eum composuit, dignisq; ipsum laudibus extulit: Hujus frater *HAUBOLDUS* literis quoq; navavit operam in præcipuis Germaniæ Academiis, tantosque in iis fecit profectus, ut domum reversus Mauritii & Augusti Saxonæ Electorum Consiliarius primum intimus, & Christiani I. Electoris Cancellarius supremusque Consistoriorum per totum Saxonæ Electoratum Inspector fuerit constitutus. Wittebergæ literis incumbens lectionibus D. Lutheri frequenter interfuit; unde religionis quoque Lutheraniæ acerrimus semper extitit defensor, uti pluribus Curriculum vitæ, concioni ejus funebri annexum demonstrat. Merita ejus in patriam atque Principes, autoritatem item atque singulares plane virtutes ejus laudat *Peccensteinus* l. c. Vita excessit jam septuagenarius in domo sua Scharffenstein anno 1592. Filius ejus, ABRAHAMUS ab EINSIEDEL, vir eximia prudentia atque multa eruditione longoque rerum usu conspicuus, quem Electoralis Saxonæ domus ad secretiora sua in rebus ad Cameram spectantibus, adhuc circa primordia currentis seculi adhibuit consilia. Ab eodem *Peccensteinio* celebratur HILDEBRANDUS ab EINSIEDEL, quartus juxta ordinem ætatis Henrici, senioris filius, dynasta in Priesniz & Wolffitz, deinde etiam in Gnanstein, Vir ingenuis artibus non leviter imbutus, juriumque peritus, Augusto & Christiano Electoribus Sax. a consiliis fuit, Principesque juventutis Christiani gubernavit, donec anno 1598. vivere desineret. Hujus frater ABRAHAM ab EINSIEDEL, in Sira, Henrici Senioris VII. in ordine filius, a *Peccensteinio* l. c. vir literis excellens, autoritate gravis, quem omnes boni amassent, prædicatur. Vide quoque *Spang. f. 198. b.* Claruit seculo superiori. Sub initium Reformationis Lutheri, Friderici Sapientis, Elect. Sax. consiliarius gravissimus fuit HAUBOLDUS ab EINSIEDEL, qui, teste *Seckendorffio in Hist. Luth. sanctum* opus reformationis promotum ivit. Huic jungimus HENRICUM ab EINSIEDEL, quem *Seckendorffius* laudat, quod vir doctus, quique anno seculi superioris 28. Ecclesiarum in regione, quam vocant Australi, (in Osterlande) una cum Spalatino Altenburgensi, aliisque visitator fuit. Hunc Lutherus amavit, ad eumque literas sæpe dedit amicas. Præter laudatos jam inclusos Einsiedelios, alii celebrantur plures eruditionis & meritorum gloria non inferiores: ut HENRICUS HILDEBRANDUS ab EINSIEDEL, dynasta in Schveinsburg & Grimmitschau, vir spectatæ eruditionis, acerrimus

cerimus religionis Evangelicæ defensor: CURTH ab EINSIEDEL, qui Electoris, Johannis Georgii I. Consiliarius Appellationum primum, deinde Administratoris Magdeburgici secretioris consilii membrum fuit. Hujus filius, ejusdem nominis, eadem dignitate eminuit, anno hujus seculi 1668. e vivis sublatus. Cujus filius, HENRICUS ab EINSIEDEL, ob juris scientiam in suprema Appellationum Curia Consiliarius fuit, anno 1671. demortuus. Majori adhuc laude insignis HENRICUS HILDEBRANDUS ab EINSIEDEL, Dominus in Scharffenstein fuit, vir singularibus naturæ dotibus excellens, literarum studiis egregie imbutus & multis peregrinationibus celebris. Quem Electores Saxonix in consilium adhibuerunt, vicesque Præsidis Curix Provincialis Lipsiensis contulerunt: Præterea reddituum ducatus Altenburgensis Inspector atque ordinis Nobilium in eodem ducatu Director gravissimus. Optimi hujus viri filius paterni non tantum nominis, sed & virtutum paternarum ac dignitatis genuinus hæres fuit HENRICUS HILDEBRANDUS ab EINSIEDEL, Dynasta in Scharffenstein, Weisbach & Lumpzig, cujus memoriam adhuc veneratur patria nostra universa. Juris divini & humani scientia ita excelluit, ut paucos haberet pares, neminem vero superiorem. Electoribus Saxonix, Johannis Georgii II. in sanctiori senatu fuit Consiliarius, Curix supremarum appellationem Præses ac ordinis Equestris in Ducatu Altenburgico Director gravissimus: Heros longiori vita dignissimus anno 1676. vita excessit, filios itidem eruditione & virtute præstantissimos relinquens HAUBOLDUM ABRAHAMUM ab EINSIEDEL in Scharffenstein, & HENRICUM HILDEBRANDUM ab EINSIEDEL, in Lumpzig Dynastas: quorum prior Domui Electorali Saxonix, alter vero Ducibus Saxo-Gothanis a consiliis est Altenburgi. Quibus statim annectimus WOLFFGANGUM CURTH ab EINSIEDEL, quem ex alia quidem, ejusdem tamen familiæ, linea esse, Principique hæctenus Anhaltino Servestano secretiora dedisse consilia, ex concione ejus funebri habita anno 1693. constat.

§. 18. Devenio nunc ad generosam NOBILIUM ab ENDE profapiam, ex qua eruditione & meritis conspicui fuerunt, HENRICUS ab ENDE, Dominus in Rosberg, Kaina, VVolckenburg. Vir, attestante *Peccensteinio Th. S. f. 103.* singulari sapientia & experientia, magnaque auctoritate, quem Sigismundus Imperator habuit Consiliarium, & Iridericus I. cognomento Bellicosus, Elector Saxonix, eodem usus est Ora-

rore in legationibus ad externos Principes. Tanti eum Sigismundus æstimavit, ut Baronis titulum ei obtulerit Præfectumque munimenti illius Bohemiæ, Carlsteinii, constituerit. Hujus filius CONRADUS ab ENDE, Friderico II. Electori Saxonum, fuit a consiliis, ejusque aulæ-Marschallus. GEORGIUS ULRICUS ab ENDE, seculo superiori Adsesor judicii Cameralis Spiræ fuit; Seculo autem hoc nostro incipiente Electoralis Saxonicus Consiliarius factus est. Nec minus in summa laude fuit NICOLAUS ab ENDE Præfectus vallis S. Georgii, qui Friderico, Saxonix Electori strenue suam locavit operam. Plurimas enim suscepit legationes, in quibus Principis sui æque ac Ecclesiæ salutem diligenter observavit. Vocavit eum Elector fidum suum atque secretum Consiliarium, uti videre est apud *Seckend. H. L. III. IX. Add. I. 4.* Alium NICOLAUM ab ENDE, qui Imperatoris, Caroli V. Consiliarius atque Orator fuit, Doctoris etiam Juris titulo conspicuum, suo inseruit Theatro Sax. *Peccenst. f. 103.* Mentionem præterea facit *Seckend. H. L. III. XLVI. Add. I. 9.* VVOLFFGANGUM ab ENDE, qui arbiter inter Johannem Fridericum Electorem & Georgium, Ducem Sax. fuisse scribitur. Hoc nostro tempore inclaruit studiis HAUBOLDUS ab ENDE, Consiliarius Saxo-Electoralis ab appellatione dictus, nec non Collegii Cathedralis Cizensis Consultor, vir egregia scientia præditus. Decessit anno 1666. cujus sepulchrum Cizæ in templo Mauritiano reperitur.

§. 19. Inter Misenenfes Nobiles referenda quoque generosa FEILITSCHIORUM familia, autore *Spangenbergio Sp. N. part. I. f. 105.* Ex hac literis incumbentes noti sunt DANIEL a FEILITSCH, quem inter Ecclesiæ Saxonix visitatores fuisse anno 1528. prodit *Seckend. H. L. II. XXXVI. v.* Huic jungimus FABIANUM a FEILITSCH, quem literatum fuisse ex splendidis, quæ vivus obiit, officiis colligi potest. Consiliarius enim fuit Electoralis Saxonicus, qui anno 1517. Academiam VVittebergensem visitavit, referente *Seckend. H. L. I. VIII. 8.* aureamque rosam nomine Electoris per Carolum Miltitium a Pontifice R. missam accepit, juxta eundem *Seckend. I. XLVII. 15.* Tertius se offert PHILIPPUS a FEILITSCH, eques auratus: Legatus Friderici Electoris Saxonix ad Cajetanum, Nuncium P. R. Augustæ, item ad comitia Norimbergensia anno 1522. nec non ad Regem Hungariæ, de quo *Seckend. H. L.* Dedit quoque hæc familia URBANUM CASPARUM a FEILITSCH. Consiliarium & Cancellarium Brandenburgicum, virum profunde doctum, qui

qui hoc seculo adhuc anno 1634. vixit. Hujus filius JOHANNES HENRICUS a FEILITSCH, natus anno 1608. cum Johanne Limnæo præceptore suo anno 1624. Lipsiam missus, triennium ibi summa cum laude transegit. Artgentoratum postea concessit, & hinc per Galliam, Britanniam & Belgium peregrinatus, anno 1631. rediit, annoque 1635. cum patrem comitatus esset Dresdam, obiit. Cujus præmaturam mortem *Freberus Theatr. Vir. clar. f. 1072.* dolet.

§. 20. GEORGIUS a FREYWALD, anuo 1606. Wittebergæ Philosophiæ Magister publice creatus est, studium deinde Juridicum aggressus, in plurimis exteris etiam Academiis tantos in eo fecit profectus, ut Basileæ anno 1612. J. U. D. solenniter renunciari dignus fuerit habitus: quem deinde Lipsia causarum habuit patronum, donec anno 1625. Altenburgi Johannis Philippi, Sax. Ducis Consiliarius aulicus & justitiæ primum; postea vero anno 1639. Consistorii ibidem Præses factus. Obiit anno 1641. ætatis 54. v. *Freberum f. 1096.* Hujus pater, DONATUS a FREYWALD, literas itidem excoluit, eximiusque fuit JurisConsultus seculo superiori celebris, qui Comitum ab Eberstein in Pomerania egit Cancellarium. Consule eundem *Freberum l. c.* Alias DONATUS a FREYWALD, dynasta in Kayna, fuit Cæsareæ aulae Comes atque Consiliarius insignis, quem anno 1640. denatum terra tegit Altenburgica. Nec jam deest ex hac familia, HENRICUS DONATUS a FREYWALD, qui literis Lipsiæ & Jenæ incubuit, Toparcha in Schvvandiz Ducatus Altenburgici.

§. 21. Ex generosissima ac illustri FRISIORUM gente, quorum nobilitas quadringentis abhinc annis in his provinciis Variscia & Misnia stetit, & incorrupta dignitate ad *Carolus*, qui in aula Ducis Sax. Altenburgensi summum adeptus virtute locum Magistri Domus seu Mareschalli & intimi consilarii munere summa cum laude defunctus est. Hoc patre genitus illustris *Henricus*, Elect. Sax. in sanctiore senatu consiliarius ac cancellarius, nec non in Appellationum curia Præses; qui Baronatus insulas ab Augustissimo Cæsare oblatas sponte, accepit, ac in magnis duobus filiis *Henrico* & *Carolo* virtutis & raræ eruditionis gloriam propagavit. Nam uterque nostro adhuc tempore summis in aula Electorali Saxonica Joh. Georgii II. dignitate eminuit: ille sanctioris senatus Directoris; hic vero Consilarii intimi & Proto-synedrii ac Lipsiæ curiæ provincialis Præsidis munus etiam Joh. Georgio III. imperante obivit, ac eruditorum

amorem ac cultum sibi conciliavit; cum Musæ omnes patronum & tutelarem quasi Deum in utroque invenirent ac colerent publice. vid. *Buchneri Omt. Panegyri. IX. in excessum laudati Herois.* Avitarum ac paternarum, ut cæterorum bonorum, ita virtutum hæredes ac æmuli hodie in aula Sax. itidem cluunt illustrissimi Nepotes, quos inter *Carolus Otto*, El. Sax. sanctior consiliarius, ac non ita pridem ad comitia Ratisbonensia, & ad augustissimum *Leopoldum* legatus splendidissimus eminet.

§. 22. Ex GOLDSTEINIIS, CHILIANUS a GOLDSTEIN consiliarius Sax. eruditi J.Cri laudem seculo superiori meruit. PAULUS a GOLDSTEIN Wittebergæ superiori ævo J.U.D. renuntiatus fuit.

§. 23. OTTO de GRÜNRAD ex equestri ordine Misnenfi ob eruditionem & pietatem seculo superiori in Palatinatu celebris consiliarius, qui anno 1613. vita excessit. Proavus ejus HENRICUS a GRÜNRAD Eques auratus, Wenceslao El. Sax. anno 1389. a consiliis fuit.

§. 24. Ex antiqua GROSSORUM gente, literatis venit annumerandus Politicis CHRISTOPHORUS GROSSUS, Præfectus aulae Electoralis Sax. quem anno 1533. inter Ecclesiarum Saxoniae visitatores fuisse, autor est *Seck. H. L. III. XXV. Add. III. b.*

§. 25. SEBASTIANUS HARSTALL, inter nobiles Misniæ literatos maxime numerandus venit; quippe qui Decretorum Doctor fuit. In aula Saxonica Altenburgensi celebris ante sex circiter lustra exitit JOH. WILHELMUS ab HARSTALL, aulae dictæ Mareschallus.

§. 26. Ex HAUGWIZIIS celebres fuerunt inter J.Ctos, *Georgius*, Friderici II. Elect. Sax. consiliarius intimus & Cancellarius. Gloriam hujus familiae etiam auxit ERASMUS de HAUGWIZ Ecclesiarum Thuringicarum anno 1528. visitator cordatissimus. Eximius quoque Juris-Consultus fuit CHRISTOPHORUS ab HAUGWIZ Consiliarius atque Capitaneus Wurzensis hoc seculo anno 24. adhuc superstes. Ornamentum hodie illustris familiae HAUGWIZIANÆ est *Fridericus Adolphus* primarius aulae Electoralis Sax. minister, & trium Electorum Saxonorum rarissimo exemplo Præfecto-Prætorius, seu Mareschallus, nec non redituum provincialium Director supremus.

§. 27. Hic statim ex generosa HOLTZENDORFFIORUM prosapia oriundum addimus DIETERICUM ab HOLTZENDORFF quem circa finem seculi superioris intimum Electoris Brandenburgici Consiliarium, propter ingenii excellentium & raræ experientiae autoritatem

con-

conspicuum fuisse, autoritate *Peccensteinii f. 122. Th. S. probamus*, Confer *Chron. Dresd. B. Weckii p. 259.*

§. 28. Inter eruditos HEYNIZIOS, laudem meretur NICOLAUS ab HEYNZ, Georgii Ducis Sax. consiliarius, cuius *Spang. P. II. f. 196. b.* hoc tribuit encomium, quod Jurisconsultus excellens & Politicus eximius fuit. Jaxa *Peccenst. f. 83.* dicti Georgii Vice-Cancellarius etiam, Canonicusque Altenburgi, Misena vero Præpositus Cathedralis fuit. *Albinus f. 338. & Peccenst. l. c.* affirmant, eum fuisse Juris Doctorem insignem, JOHANNEM ERNESTUM ab HEYNIZ, Dynastam in Grofsböhlä, Assessorem judicii Provincialis Lipsiensis adferunt documenta genealogica, quæ ipsi laudem egregiæ scientiæ tribuunt. *Mollerus in Chron. Freib. p. II. p. 128. Henricum* eruditione insignem laudat.

§. 29. JOHANNES HENRICUS a KAYNE, Toparcha in Aulicke, Aulæ jam, Saxo-Cizensis Consiliarius eruditus Nobilis est.

§. 30. Nobilitatem generis sui restauravit HIERONYMUS a KISEWETTER J. U. Doctor & Cancellarius Elect. Sax. Mauritii & Augusti, qui a. 1598. vivere desiit.

§. 31. JOHANNES de KITSCHER. Colbergensis & Altenburgensis insignium Cathedralium Ecclesiarum Præpositus & Numburgensis Canonicus J. U. Doctor & interpres eminentissimus, reliquarum quoque literarum bonarum non ignarus, Philosophus denique, Orator, Poeta & Historiographus omnium peritissimus. Diu in Italia studiis operam dedit, summaque cum laude Italis admirantibus in Juris subtilitatibus æque ac in reliquis scientiis ita profecit, ut brevi Juris-Consultissimus evaserit. Hic utriusque Collegii Bononiensis Academiae factus Rector, dum isthic literaria funderetur dignitate, inter alia ad Philippum Berœaldum sibi amicissimum, scripsit *Dialogum de Imperii rebus* disertissimum. Ex Italia dein ad natale solum reversus, magnæ eloquentiæ nec minoris utilitatis opuscula conscripta posteritati reliquit: e quibus impressa circumferuntur hodie Dialogus in defensionem poetices, in qua Musæ interloquuntur: Dialogus, in quo virtus ac fortuna dissidentes decertant: Temperantia & Castitas interloquuntur: Dialogus in quo virtus a Fortuna vinculis constringitur &c. item variæ Orationes ad Pontifices & Reges varios, Epistolæ etiam ad diversos scriptæ. De quibus v. *Maderi Centuriam Scriptorum Insignium num. XCII. & Freberi Theat. Vir. Erud. fol. 801.* Claruit is magna nominis fama annos natus XLIV. sub Maximiliano Imperatore & Leone X. a. 1514.

§. 32.

§. 32. KLENGELII nobilitatem generis hoc seculo literarum studiis & meritis egregiis in patriam acquisivêre. Nam WOLEGANGUS CASPARUS KLENGEL, eruditione mathematica & rei militaris scientia illustris, Elect. Sax. vigiliarum supremus præfectus & præsidiorum Dresdensium ac rei castrensis gubernator, a. 1691. vita excessit. Frater ejus *Christianus* ob juris & civilem prudentiam, Joh. Georg. II. consiliarius intimus, vir ob elegantem eruditionem a *Buchnero* in *epistolis suis* passim laudatur.

§. 33. Inter Nobiles a KÖCKERIZ literis operam dederunt, JOHANNES a KÖCKERIZ, Friderici II. cognomento Placidi Electoris Saxoniae Consiliarius, hujusque aulae Præfectus a. 1453. clarus; nec non HIERONYMUS a KÖCKERIZ e domo Waldau, seculo superiori celebris, Consiliarius Electoralis Sax. & Adfessor Curiae Appellationum, de quibus *Peccenst. f. 137.*

§. 34. Ex KONNERIZIUS excelluerunt ANDREAS a KONNERIZ, J. U. Doctor & Adfessor Camerae Spirensis, autore *Seckend. H. L. III. CII. 1.* quem Ferdinandus Rex ad Electorem Saxoniae legatum misit a. 1543. vir inter Juris-Consultos eximiae laudis. ERASMUS a KONNERIZ frater Andreae, Consiliarium egit Johannis Friderici, Electoris secretiorem, Legationis munere anno 1545. ad comitia Wormatiensia conspicuum. *Seck. H. L. III. CXXI. 2.* HENRICUS a KONNERIZ literas etiam coluit, arbitri deinde vices inter Electorem & Georgium, Sax. Ducem in se suscepit, adducente *Seck. H. L. III. XLVI. Add. I. g.* NICOLAUS a KONNERIZ frater Erasmi prædicti, Nobilis spectatae eruditionis, qui Cæsari, Carolo V. dedit consilia: favit Evangelicae doctrinae, id quod ex detectione consiliorum quorundam Hispanicorum adversus Lutheranos colligi potest. vid. *Seck. H. L. III. CXXIV. 2.* CHRISTOPHORI a KONNERIZ, nomine fratris Erasmi, mentio sit apud *Spangenb. f. 191.* quem Friburgi Brisgoviae, Jurisprudentiae operam navasse, & ab Erasmo Roterodamo multoties laudatum scribit.

§. 35. Nec prætereunda est celebris KOSERIZIORUM familia in qua literis exculti numerantur JACOBUS a KOSERIZ, Johannis Friderici, Elect. Sax. Consiliarius, Vir magnae autoritatis. Hujus filius ABRAHAMUS a KOSERIZ, vir & ingenio & Jurisprudentia præstans, Electoralis Curiae Sax. Adfessor fuit gravissimus. Hujus duo filii excelluerunt studiis, quorum alter DANIEL a KOSERIZ, anno 1569. natus,

natus, in Gymnasio Servestano & Academia Wittebergensi deinde egregios in melioribus literis fecit profectus, juris etiam notitiam hausit excellentem, Historiarum insuper & Astrologiæ indefessus per omnem vitam extitit amator. Summam viri prudentiam animadvertens Princeps gravissimis causis componendis eum adhibuit ab anno 1604. ad an. 1614. usque quo ab Electore Saxonico præter spem suam inter Consiliarios relatus, Curia Electoralis Præses, nec non Wittebergensis, Bölzigensis, Gomeranæ & Elbenaviensis, Diocesium Præfectus fieret summus. Finem vivendi, fecit a. 1638. relicto filio ABRAHAMO DANIELE, designato Elector. Saxon. consiliario. De quibus omnibus v. *Freberum f. 1084.* Alter Abrahami supra possit; filius fuit ABRAHAMUS a KOSERIZ a. 1573. in lucem editus in Burk Kemniz. Wittebergæ literis incubuit, multumque profecit: sed privata vitæ amans, nullis publicis præfuit officiis. Ob Pietatem præcipue laudandus venit, quæ ex verbis ejus, quibus die mortem prægressa uxorem suam affatus est, colligi potest, quæ fuerunt: *Recordor quidem, mea, te retrahentem me sæpius ab assidua librorum sacrorum lectione hoc tulisse responsum: Omnino legendum valenti, affore enim horam, qua legere minime liceret. Id nunc tempus mihi accessit: videor tamen, cum lecta ante hac in memoriam revoco, spatiari per hortos amœnissimos, & delibare voluptate summa flores, quos olim cum cura plantavi. Freberus f. 1079. & Aug. Buchnerus in Programmate funebri, quod anno 1637. Wittebergæ scriptum fuit.*

§. 36. KOSPOTHII generosi in sua familia equestri literatos plures numerant. *B. Seckendorffius in Hist. Luth.* CAROLUM a KOSPOTH memorat, qui Scholas & Ecclesias Ruthenorum instauravit visitando. Taubmannus carmine quodam JUSTUM a KOSPOTH celebrat. Nostro tempore duo fratres excellentissimi inclaruere WILHELMUS Administratoris Archiepiscopatus Magdeburgici consiliarius intimus, & FRIDERICUS Elect. Sax. Consiliarius intimus, qui adhuc superstes est, ac literatorum patronus cluit.

§. 37. Ex incluta Nobilium a KÖTTERIZ stirpe Jurisconsulti prodierunt WOLFFIUS a KÖTTERIZ, Marchionis Alberti Senioris, Ducisque Borussiae Consiliarius, a. 1553. celebris, qui ob Andr. Osiandri absurdum dogma, quod improbavit, Borussia deserta, Ducis Sax. Vinar. factus est consiliarius, v. *Spangenberg. f. 194. & Peccenstein. Th. S. f. 116.* JOHANNES a KÖTTERIZ, consilia suggestit Mauritio & Augusto, Electoribus Saxoniae,

E

nia,

niæ, vir inter eruditos illius temporis excellens, teste *Peccenst. l. c.* Hunc secutus est HERMANNUS a KÖTTERIZ, Reichardi, Palati Rhenani primum, dein Comitis ab Erbach Consiliarius. Hos autem sua eximia eruditione superavit SEBASTIANUS FRIDERICUS a KÖTTERIZ, Dominus in Sitten. Hunc non modo *Peccenstein l. c.* tanquam virum summæ eruditionis, egregiæ autoritatis, longoque itinere versatissimum, laudat; sed & concio ejus funebris celebrat eum aulæ Electoralis Dresdensis pariter & Appellationum Consiliarium spectatissimum, Vice-Cancellarium, supremique ibidem Consistorii Præsidem longe excellentissimum, circa finem seculi superioris florentem. Eodem tempore inclaruit etiam JOHANNES a KÖTTERIZ, qui Electori Brandenburgico charus fuit ob consiliorum prudentiam. v. *Peccenst. f. 116. seq.* Clarus etiam literis fuit NICOLAUS a KÖTTERIZ, Consiliarius Saxo-Altenburgensis. Nec incelebris fuit JOHANNES HAUBOLDUS a KÖTTERIZ, Consiliarius Electoralis Saxonicus, Capitaneus Wurzensis, & Adfessor Curiae Provincialis Lipsiensis in generosis & eruditis filiis adhuc superstes. SEBASTIANI cujusdam a KÖTTERIZ, mentio fit apud *Seckend. H. Luth. II. XXXVI. 2.* item *III. XXV. Add. III. b.* qui inter visitatores Ecclesiarum Saxoniae a. 1528. & 1533. fuisse traditur.

§. 38. Inter KRAKOVIOS, Fabricius ab eruditione & virtute singulari commendat JOHANNEM a KRACKAU, Canonicum Numburgensem & Misnensem vid. *Orig. Sax. l. 7.* MATTHIAS a KRACKAU, Elect. Brandenb. consiliarius intimus & Dicasterii in citeriori Pomerania præses inclutus.

§. 39. Post literatos Krakovios ad antiquam Nobilium de LEIPZIGK progeniem tendo. Ubi primus, qui literis inclaruit se offert, annotante *Peccensteinio Tb. S. f. 118. seqq.* JOHANNES de LEIPZIGK, qui anno 1414. una cum Rudolpho, Electore Saxon. Anhaltini stemmatis Principe, concilium Constantiense visitavit. Anno 1486. CHRISTOPHORUS de LEIPZIGK celebris fuit. Hic enim Ernesti, Electoris Saxoniae, hujusque filii, Friderici III. Consiliarius audiit, quibus adeo charus, ut eum sibi comitem itineris Italici & Hierosolymitani junxerint, in quo itinere Equitis aurati titulum meritis est. Laudatur vir gravis, prudens & modestus, qui plurimis in legationibus publice suam dexteritatem præbisset conspiciendam. *Peccensteinius f. 119.* Nec ignotus est, GEORGIUS de LEIPZIGK initio hujus seculi, adhuc clarus. Is egit supremum Electoris

ctoris Saxoniae Scabinum, qui propter pietatem, modestiam & experientiam celebratur ab eodem *Peccenstein. l. c.* ubi etiam mentionem injicit HENRICI a LEIPZIGK, quem circa initia hujus currentis seculi Capitaneum Praefectarum Torgaviensis & Liebenwerdaviensis tradit, tribuens ei laudem eximia eruditionis, primaeque in dicendo celebritatis. ERNESTUS de LEIPZIGK Toparcha in Beerwalda, Adfessor Provincialis Curiae Wittenbergensis, quam spartam non sine honore ornavit. Vir fuit ingenii suavitate, prudentia, rerum usu & integritate clarus. v. *Peccenst. l. c.* Memoratur etiam JOHANNES a LEIPZIGK Consiliarius Rudolphi Elect. Sax.

§. 40. LICHTENHAYNIORUM Nobilem in Misnia profapia, hac nostra aetate meliorum literarum & juris scientia ac studio condecorare annixus est BALTHASAR RUDOLPHUS a LICHTENHAYN, toparcha in Ezolshayn & Konneriz, Dicafterii Provincialis Lipsiensis Assessor, vir non minus eruditione, quam rara virtute conspicuus.

§. 41. Ex LINDENAVIIS Jurisprudenciae dedit operam HENRICUS a LINDENAU, qui aetate superiori clarus, uti refert *Seckend. H. Luth. l. 1. §. 130. add. 1. n. 11. Conf. Molleri Ann. Freib. p. 117. & Chron. Zwicav. p. 517.*

§. 42. Nostro seculo ex perantiqua LOBCOWENIORUM gente, ex Marchia in Misniam superiori aetate translata, generosa Fratrum biga ob eruditionis & prudentiae civilis laudem celebris est. GEORGIUS HEINRICUS & CORNELIUS; ille vir aetate gravis, & praclaris in aulis Saxonicas meritis insignis, primum in aula Saxo-Magdeburgense Principum juventutis Ephorus, mox in aula Electorali curiae supremarum appellationum senator, & tandem aulae Sax. Martisburgensis minister primarius; jam vero Duci Anhaltino Servestano a consiliis intimis est: Hic (Cornelius) qui etiam supremarum Appellationum in aula Electorali egit Consiliarium, in inferiori Lusatia Capitaneus & reddituum Provincialium Consiliarius jam audit.

§. 43. Ex incluta LOESERORUM familia plures non exiguum in orbe literato claritatem obtinuisse reperio. MATTHIAS a LOESER, cujus avus *Magnus a Refeld*, Friderici Admorsii, Marchionis Misniae, Consiliarius atque Colonellus, primus Loeseriani nominis autor, (de nominis origine vel mutatione vide Adriani Beyeri *Academ. Jenens. p. 730.*) Hic in Academia Pragensi studio Juridico vacavit, tantosque fecit profectus, ut,

docente Genealogia, J. U. Doctor ibidem creatus fuerit. Cum vero rara
ejus Jurisprudentiæ peritia Magnatibus innotuisset, Wenceslaus, Elector
Saxoniae, ejusque filii, Rudolphus III. & Albertus III. Electores Saxoniae,
consiliis ejusdem usi sunt: Nam Dicti Alberti Cancellarius fuit constitu-
tus, sanctiorisque consilii membrum. Laudat *Peccensteinus* ejus virtu-
tis excellentiam summamque prudentiam. Cancellarii vices, demortuo
Alberto, etiam obiit, supremusque Legatus fuit Nobilium Misnensium,
quia 1422. a Sigismundo, Imperatore, Principis sui nomine, impetravit, ut,
mortuo Alberto, ultimi ex linea Principum Anhaltinorum Electoris Saxo-
niae, dignitas Electoralis Friderico Marchioni Misniae collata fuerit. vid.
Peccenst. Tb. S. f. 182. Hujus quoque *Matthiae* mentio facta est supra in-
ter Theologos. JOHANNES a LOESER seculo superiori clarus, fuit
non tantum equestris ordinis Saxonici Mareschallus, sed & perpetuus A-
cademiæ Wittebergensis Commissarius, Curiaque ibidem Provincialis
Præses. Legatus præterea Electoris Saxoniae Augusti ad Rudolphum II.
Cæsarem, quem dictus Augustus non modo, sed & alii Principes magno
habuerunt in pretio. Summis eum sapientiæ eximiæ, autoritatis specta-
tæ & doctrinæ egregiæ effert laudibus *Peccenst. f. 187.* vid. *Seck. H. L. III.*
XIV. 1. Hujus nepos ejusdem nominis, JOHANNES a LOESER natus
anno 1590. Vir sapientiæ laude clarissimus & scientia omni excultus, per
mortem placidam ex hac vita emigravit Salitii a. 1644. postquam operam
suam Duci Saxo-Altenburgico in communicandis consiliis strenue exhi-
bisset, ordinibusque Ducatus illius fidelissimis, Directoris titulo non sine
laude præfuisse. CURTH a LOESER, Dominus Salitii, vir, qui literarum
studio, quod Jurium continetur scientia, se totum dedit. Electoris Jo-
hannis Georgii I. deinde Consiliarius fuit, Camerarius itidem ac equestris
ordinis Mareschallus Hæreditarius. Præfectus censuum Provincialium su-
premus, ordinum Ducatus Saxo-Altenburgici fidelissimorum Director
gravissimus, qui munera illa amplifica cum prudentiæ summa & integri-
tatis laude gesit. Vitam a. 1670. finiit, relicto inter alios filio JOHAN-
NE a LOESER, hæreditario Mareschallo, Salitii Dynasta, qui literarum
amore & virtutis laude adhuc celebris est.

§. 44. Inter Misniæ Nobiles maxime eruditos nunc eminet JO-
HANNES CASPARUS a LHOS, aulae Ducis Saxo-Weissenfelsis Mare-
schallus, Consiliarius intimus ac Judicii Appellationum Elect. Senator.

§. 45. Ex Nobilibus de LÜTTICHAU Jurisconsulti prodierunt WOLFFGANGUS a LÜTTICHAU J. U. D. anno 1498. natus, literis deinde gnauiter operam dedit Bononiæ Italarum, aliisque in Academiis. Tanti eum Georgius Sax. Dux fecit, ut ultro Canonici honores ei offerret Misnensis, repulsis quatuor aliis, qui eos ambiverant, finito tamen spacio annuo iterum resignavit v. *Fabric. Ann. Misn. f. 73.* Augusti, Electoris postea Consiliarius factus est, referente *Albino f. 362.* Peccensteinus eum quatuor Saxonæ Ducum fuisse Consiliarium affirmat, *Theatr. Sax. f. 109.* Hujus filius, SEIFFRIDUS a LÜTTICHAU, Dominus in Kmelen, studiis etiam fuit deditus, ita, ut in Juris subtilitatibus eximios fecerit progressus, Augusti Electoris deinde, nec-non illustrissimæ Christiani I. Electoris, Conjugis Consiliarius factus. Hic iterum reliquit WOLFFGANGUM a LÜTTICHAU politiori doctrina ornatum, Juris quoque egregium Consultum, quem Electores Saxonæ circa primordia hujus etiam seculi haberunt adhuc inter suos Consiliarios, eumque tandem Vice-Cancellarium constituerunt, cui *Peccensteinus* tribuit laudem diligentia, doctrinae & experientia *Tb. S. f. 109.* Nec minorem ex literis promeruit honorem WOLFFGANGUS SIEGFRIED a LÜTTICHAU intimus Electoralis Saxonicus Consiliarius, Cancellarius atque Camerarius, qui, ut ex Genealogicis documentis constat, a. 1671. vita excessit.

§. 46. MALTIZII Misniæ Nobiles literis & Juris scientia imbuti fuerunt FRIDERICUS a MALTIZ, Toparcha Lichtensteinii, Friderici I. Electoris Consiliarius sanctior, honore alias Equitis Aurati conspicuus, teste *Peccenst. f. 125.* SIGISMUNDUS a MALTIZ, e domo Dippoldswalda ortus, Georgii, Ducis Saxonæ Consiliarius, Aulaeque Mareschallus, vir non inferioris virtutis quam eruditionis. Literatis etiam accensendus CHRISTOPHORUS a MALTIZ, Eques auratus, Electorumque Saxonæ Consiliarius circa finem superioris seculi clarus, quem *Elstervverda* habuit Dominum *Peccenst. f. 125.* Ex documentis Genealogicis apparet eum etiam Administratoris Episcopatus Martisburgici Vicarium fuisse. Alium literatum HAUBOLDUM a MALTIZ Jurisconsultum non exiguae laudis, atque Electoralem Consiliarium Aulaeque-Mareschallum celebrant Documenta Genealogica hujus gentis.

§. 47. Ex antiquissima & generosa MARSCHALLORUM profapia MAURITIUS DAMIANUS MARSCHALL a BIEBERSTEIN, Dynasta in Hermsdorff, Kobelsdorff, Malitzsch, Nausliz &c. primarius aulae Admini-

nistratoris Magdeb. Archiepiscopatus primum Mareschallus; nunc vero intimus Ducis Saxo-Weissenfelsensis, supremusque ærarii provincialis Elect. consiliarius celebris est. Cujus generosæ stirpis plures numerantur, qui literati fuerunt.

§. 48. Non prætereundus est hic MELCHIOR a MECKAU, nobilis Misenenfis, Canonicus primo Misenenfis, deinde Episcopus Brixensis, & tandem Cardinalis, quem *Fabricius Annal. Misn. ad a. 1487.* laudat. Liberalitate ejus adhuc fruitur Facultas Philosophica Lipsiensis, ejusque nomen hinc in benedictione manet.

§. 49. JOHANNES a MERGENTHAL, Adducitur ab *Albino Chr. Misn. f. 227.* Cancellarius Alberti, Ducis Saxonix, cujus Principis Itinerarium terræ S. edidisse etiam ibidem scribitur. vixit a. 1476.

§. 50. METSCHIORUM antiquam gentem nobilem literis reddiderunt clariorem JOHANNES a METSCH, primus judicii Provincialis Wittebergensis Præses anno 1478. clarus, nec non JOSEPHUS LEVINUS a METSCH, Burggraviorum Misensium Consiliarius, Dynasta Reichenbachii & Friesen, qui Lipsiæ adhuc anno 1519. Musarum in castris merens, pro uno ex doctissimis Nobilibus habitus est. Interfuit etiam Disputationi B. Lutheri cum Eccio institutæ, quæ apud illum tantum effecit, ut erroribus Pontificiis renuncians primus fuerit, qui ex sua familia Evangelii doctrinam sanam susciperet, de quo *B. Lutherus* variis in locis videndus est. CONRADUS a METSCH, J. U. Doctor, Joachimi Electoris Brandenburgici Consiliarius & Legatus ad Comitata Norimbergensia a. 1542. v. *Reichs-Abschied f. 290. B. Seckend. H. L. III. LXV. 5.* eundem Johannis, fratris dicti Electoris Marchionis Brandenburgici Cancellarium vocat, in Conventu Isenacensi a. 1538. præsentem. FRIDERICUS METSCH vir excellenter doctus, qui propter insignem prudentiam & eruditionem Cæsari non modo a Consiliis fuit, sed & Electoris Sax. Johannis Georgii. I. sanctior consiliarius, supremique Consistorii Dresdensis Præses gravissimus, quibus muneribus per 36. annos summa cum laude præfuit. v. *Buchneri Orat. Panegyri. X.* in obitum ejus habitam, JOACHIMUM CHRISTIANUM & PHILIPPUM pluresq; eruditos Metschios in aulis Saxonicis celebres, annales nostri temporis celebrant, quos hic laudare non vacat.

§. 51. Nobilium a MILKAU familia numerat inter suos LEONHARDUM a MILKAU, Dominum in Altschönfels, Jurisconsultum primæ

mæ notæ, quem Electoralem Saxonicum nominant Consiliarium & Vice-Cancellarium. Generis hujus documenta annexa concioni funebri JOHANNIS HAUBOLDI a MILKAU, qui per totum quinquennium Wittebergæ literis sedulo operam dedit, ibique denatus est anno 1638. plura de his memorant.

§. 52. Inter MILTIZIOS generosissimos ac eruditos Juris-Consultos & Politicos primo laudari meretur ERNESTUS a MILTIZ, qui insigni doctrina juris excelluit. *Spang. Sp. N. p. II. f. 191. b.* scribit ipsum polluisse magna autoritate apud Georgium Ducem Sax. primum, postea vero intimum Electoris Mauritiæ egisse Consiliarium, ac Bazdorffii fuisse Toparcham. Ex aliis autem documentis constat, eum quatuor Electoribus & Ducibus Saxonæ sua adprobasse ministeria. confer. *Spang. p. I. Sp. N. f. 191. & Fabric. Orig. Sax. l. 9. f. 92. Seckend. H. L. libr. 3. §. 46. Add. I. g. & §. 73. Add. I. a.* eum Aulæ-Mareschallum Georgii, arbitrumque inter illum Ducem & Electorem, refert. Plures MILTIZIOS literis & magnis, in aulis Saxonis, dignitatibus illustres memorant *Fabricius l. 8. Sax. illustr.* & eorum Genealogiæ, quos hic recensere nimis prolixum foret. Alias ex MILTIZIIS floruerunt hoc nostro seculo HENRICUS GEBHARD a MILTIZ, aulæ Dresdensis, Judicii que Appellationum Consiliarius: HAUBOLDUS Dominus Schenkenbergæ, itidem Electoralis Consiliarius intimus & ærarii provincialis Director, literatorum patronus maximus. Ante eum RUDOLPHUS Electori Sax. Johanni Georgio I. ab intimis consiliis, Aulæ que Mareschallus ac supremus ærarii provincialis Director fuit, qui Cizæ anno 1661. in fata concessit. Hodie decus illustris familiæ cluit MAURITIUS HENRICUS L. Baro ac Bondersius, & in Comitibus Ratisbonensibus hoc tempore legatus excellentissimus, qui eleganti eruditione ac civili prudentia eminet.

§. 53. Ex perant qua Nobili MINCKWIZIORUM familia Juris-Consulti & Philosophi prodierunt CASPARUS a MINCKWIZ, qui inter arbitros Johannis Friderici, Electoris, in causa cum Georgio Duce Sax. enumeratur a *Seckend. H. L. l. 3. §. 46. Add. I. g.* ut & GEORGIUS a MINCKWIZ, Dominus Sonnewaldæ. His tamen studiis clariores fuerunt JOHANNES a MINCKWIZ, Eques, Electoralis Saxonis Consiliarius in conventu Wormatiensi 1521. item in Comitibus Spirensibus anno 1529. celebris. Vir, qui opus Reformationis egregie promovit, & qui plurimis legationibus functus est. Cujus fidelitatem & Fridericus
sapiens

sapiens & Johannes Fridericus, Electores Sax. in causis etiam gravissimis experti sunt. Non minore laude fertur NIKOLAUS a MINCKWIZ, qui Principibus viris suam quoque strenue adprobavit operam, atque Evangelicæ doctrinæ propagationem non parum juvit. De quibus consulendus *Seckend. H. L.* Celebrior adhuc jurisperitia fuit ERASMUS a MINCKWIZ, Eques, Præfectus in Belzig, qui artibus liberalibus adolescens probe imbutus Jurisprudentiæ se totum dedidit, Paduæ Italorum J. U. Doctoris titulum meritis & Rectoratu Academico ibidem summam cum laude functus est, omnium totius Italiæ literatorum in sese derivans amorem. Ad patriæ solum deinde reversus, Johanni Friderico, Electori Saxoniae, suam in Cancellarii munere constitutus satis superque comprobavit dexteritatem, quam plurimas suscipiens non solum, sed & felici successu obiens legationes. De quibus omnibus legi merentur *Seck. H. L. Spangenberg: Sp. N. p. II. l. VI. c. 39.* per totum, & *Kirchbn. Oratio* sæpius allegata.

§. 54. Ex MOLSDORFFIORUM stirpe Jurisperiti & Philosophi prognati PETRUS a MOLSDORFF, alias *Weller* dictus, qui Bonarum Artium & Philosophiæ Baccalaureus anno ætatis 17. Wittenbergæ factus, linguas deinde excoluit orientales, in quibus tantos profectus fecit, ut in Latinis, Græcis, Hebraicis & Chaldaicis literis ex Nobilitate parem non habuerit, teste *Spang. Sp. N. p. II. f. 191. b.* ubi memorat, eum *Georgii a Polenz*, Episcopi Semlandiæ secretarium ad tempus fuisse; postea vero Alberti, Ducis Borussiae Consiliarium factum, quo annuente, Wittenbergam, Lutherum ibidem auscultandi gratia, se contulit. Inde Italiam petiit, Senisque anno 1534. Doctoris Juris insignia obtinuit: anno mox insequente Hierosolymam profectus, Equitis aurati titulum meruit; sed paulo post morbo correptus exspiravit ibidem anno 1536. Nec prætereundus est PAULUS WELLERUS, ex MOLSDORFFIORUM familia nobili nepos, Medicinæ Doctor, quem Norimbergenses celebrant practicum priori seculo experientissimum; donec tandem a. 1607. ætate fessus vitæ tranquillæ desiderio ex urbe dimissus, Auracum, in agro situm Würtembergico oppidum, discessit, ibique non multo post, anno nimirum 1602. vitam finiit, teste *Frebero f. 1311.* Cyriacus Spangenberg peculiarem de hac Nobili familia tractatum edidit.

§. 55. Hanc paginæ partem sibi nunc vendicat ULRICUS de MORDEISEN J. U. Doctor, natus Lipsiæ a. 1519. Mauritius, Elector Sax.
eum

eum Cancellarium, Augustus vero primarium constituit Consiliarium. Habetur pro acutissimo sui ævi Juris-Consulto & elegantissimo Oratore. Quanti eum Itali æstimarunt, ex epistola quadam Mariani Socini, primarii Paduæ & Bononiæ Professoris Juris ad D. Hieron. Schurffium liquet, ex qua sequentia apponam verba; *Ab initio singularem illius (Ulrici puta) audiendi & accedendi me diligentiam, mox interrogandi dexteritatem & solertiam observavi: deinde, ubi paulatim jam cum commilitonibus & me metipso quoq; differere & audaci cum molestia disceptare etiam cœpisset, in magnam sui admirationem nos pertraxit, quod præter vulgarem aliorum morem simul cum humanioribus studiis raram Juris cognitionem adhuc juvenis feliciter conjunxisse se nobis probaret. Siquidem non modo de præhabitis lectionibus & materiis presentibus, sed quibuscunq; etiam aliis incidentibus & subtilioribus atq; obscurioribus juris articulis cum gratia & applausu ex tempore differere nobiscum potuit.* Hæc ille, quæ cum majori epistolæ parte legi merentur apud *Albinum Chr. Misn. f. 369.* Dresdæ a. 1574. diem suum obiit. confer. *Fabric. L. VII. Orig. Sax.*

§. 56. Ex NAUNDORFFIIS literis imbutus claruit JOHANNES LUDOVICUS a NAUNDORFF, quem Duces Brunsvicenses in Consiliarium numerum cooptarunt, simulque aulæ-præfectum constituerunt. Numerat quoque generosa hæc NAUNDORFFIORUM familia alios literatos viros, qui publicis quidem functionibus non præfuerunt; literis tamen conspicui sunt, NICOLAUM, Toparcham quondam in Naundorff & Caasen, & UZ a NAUNDORFF, dynastam in Naundorff, Caasen & Zülsdorff: item GEORGIUM EHRENFRIIDUM, Toparcham in Eichenberg, ejusque fratrem JOHANNEM LUDOVICUM, in Naundorff & Grossenstein dynastam: Nec non EHRENFRIIDUM LEVINUM, e domo Tornensi, hujusque fratrem ADAMUM HENRICUM, Toparcham in Torna & Seeligstädt &c. Quod ex documentis Genealogicis constat.

§. 57. Ex NEIDITSCHIIS Marte alias claris, CAROLUS AUGUSTUS a NEIDITSCH, Dynasta Mannichsvaldæ celebratur Camerarius Electoralis Saxonæ, Consiliarius Appellationum atque Cygnaviensis præfecturæ Capitaneus.

§. 58. JOHANNES GEORGIUS ab OPPEL, Intimus Electoris Sax. Consiliarius vir eleganti literatura ac juris scientia clarus, quem familia quoque Nobilitatis suæ autorem agnoscit. Filius ejus JOHANNES DAVID ab OPPEL paternarum virtutum hæres, elegantiori e-

F

rudi-

Georgium Ducem Saxon. a. 1536. constitutum fuisse affirmat. CÆSAR PFLUG, e domo Eytern, Eques, Vir propter eruditionem suam publicis in scriptis sæpius laudatus, Philosophus fuit excellens, Orator omnes sui ævi superans, Juris-Consultus eximius, quem Georgius, Sax. Dux, magni æstimavit, multique alii Principes eum in publicis comitiis Oratorem adhibuerunt. A. 1519. interfuit etiam Disputationi B. Lutheri cum Eccio habitæ, ejusque quasi director fuit. Paucis: Proxima a Principe polluit potestate & auctoritate, referente *Fabricio origin. Sax. f. 862.* confer *Seckend. part. I. H. L. f. 89.* *Peccensteinus hunc Casparum* vocat *Tb. S. f. 64.* Ex eadem familia illustri celebratur IOHANNES PFLUG, quod legatus Ducis Georgii ad Electorem in causa Religionis, temporibus B. Lutheri, fuerit, uti *Seck. in H. Luth. III. XXI. Add. II. b.* memoriæ prodidit. PFLUGIUM, cui Cæsar nomen, ex eadem domo, fuisse Consiliarium Electoris Sax. quem ab Appellationibus dici usu receptum est, docent Genealogica quædam documenta. Majorum illustrem ex literis partam gloriam, egregium certe PFLUGIORUM par fraternum, hoc nostro tempore inclutum, auget BERNHARDUS PFLUG Eques Auratus, quem Ienensis atque Tubingensis Academiæ aliquoties publice cum adplausu disputantem audiverunt: Qui Ducibus Saxonix prudentiam ac fidem suam in variis ac splendidis functionibus adprobavit, quippe Ser. Ducis Saxo-Ciz. Aulæ-Marschallus, intimus Consiliarius, nec non Weidensis Præfecturæ Capitaneus factus: Secundus frater GEORGIUS DIETERICUS PFLUG Ser. Ducis Saxo-Gothani Consiliarius intimus, Assessorque Curix Provincialis, quæ Ienæ floret, gravissimus: quem & ego Patronum veneror summa cum observantia. Qui præter Romanæ Linguæ elegantiam, Græcas literas, Philosophiam & Iurium scientiam adprime callet.

§. 64. Ex Nobilibus a PFORTA literati laudantur ERASMUS a PFORTA, Electoralis Sax. intimus Consiliarius & Marschallus, nec non JOHANNES CHRISTOPHORUS a PFORTA Juris egregia scientia olim clarus.

§. 65. PISTORIORUM perlustrans familiam, eruditione eam excelluisse reperio. Nam quinque una serie se invicem excipientes Doctorum titulis ornati: quorum NICOLAUS & ejus filius, SIMON PISTORIS, Medicinæ extiterunt Doctores celeberrimi, ambo Ducum Saxonix Archiatræ, ex quibus patrem anno 1462. filium a. 1523. obiisse constat ex *Albini*

Chron

Chron. Misn. Horum ultimus reliquit iterum filium ejusdem nominis SIMONEM PISTORIS, quem decus hujus familiae fuisse constat. Natus est Lipsiae anno 1489. adolescens 20. annorum ibidem gradum Baccalauri juris meruit. Hinc in Italiam profectus Jurisprudentiae operam dedit. Ad suos deinde reversus a. 1512. Juris Licentiati, & anno 1514. Doctoris insignia suscepit. Anno autem 1519. ordinarius juris Professor Lipsiae a Georgio Duce Sax. denominatus est, qui eum postea anno 1523. in aulam suam ad Cancellarii munus accersivit, quod invitus quidem suscepit; administravit tamen usque ad mortem Georgii laudabiliter. Hoc demortuo ordinarii in Lipsiensi Academia munus iterum obiit, donec eum Mauritius Elector in aulam revocaverit. Vitam clausit anno 1562. aetatis 73. sepultus in Seufeliz, pago suo. Judicium Facultatis Juridicae in literis Commendatitiis ad Georgium Sax. Ducem, cum Ordinarii Lipsiae munus vacaret, inter alia haec continet verba: *in hoc uno supra familiae claritatem, natura tantas animi & corporis dotes, una cum incluta virtute, atque cum summa docendi facilitate, non sine magna omnium admiratione felicissime cumulavit; ut melius neminem, vel ex cunctis Germaniae Academiis conquistum, nostris studiis satisfacturum putemus: tantum in eo sapientia, probitas, ingenium, eruditio atq; civilitas emicant &c.* Plura v. ap. *Albinum Chr. M. f. 358.* & apud *Maderum n. 57.* item *Freherum f. 846.* Reliquit hic SIMON filium, MODESTINUM PISTORIS, natum Lipsiae anno 1516. quem Lipsia primum erudit, Italia deinde per quinquennium Jurisprudentiae aluit alumnum, patria postea reversum Legum Doctorem creavit, & ejusdem Facultatis Ordinarium Professore constitutum habuit in summo honore. Hanc spartam cum more Parentis, diligenter ornaret, ab Electore Sax. inter Consiliarios adscitur, Curiae Provincialis Adfessor simul constitutus. Tandem vero magna cum laude, dignitatis, virtutis, sapientiae & justitiae laborum, pertinaci assiduitate fractus ex vita excessit a. 1565. aetatis 49. *Freherus f. 848.* Edidit volumen *Responsorum Juris seu Consiliorum.* Hic iterum post se reliquit filium, LUDOVICUM PISTORIS, J. U. Doctorem & Camerae Spirensis Adfessorem. Alter SIMONIS, Jurisconsulti, filius, nomine CALLISTUS PISTORIS, Jura quoque in Italia sub Alciato & Socinis imbibit, Augusti deinceps, Electoris Sax. Consiliarius factus est; Tandem vero Sigismundi Archiepiscopi Magdeburgensis, ac demum Administratoris ibidem Consiliarium egit, donec a. 1568. obiret. Laudat eum *Albinus f. 361.* tanquam virum insigniter doctum, ac pietatis exemplar. Celebris praeterea fuit.

EUGENIUS PISTORIS, quem *Albinus* literis non modo optimis, quas Lipsia & Gallia ipsum docuisset, sed & omnibus illis virtutibus, quæ in homine politico requiri potuissent, conspicuum vocat l. c. item HARTMANNUS PISTORIS, Dominus in Seufelitz, qui ambo etiam dicti Simonis filii sunt, quem Patris legisse vestigia una cum fratre MODESTINO scribit idem *Albinus* l. c. Juvenis enim adhuc Juris aggressus est studia celeberrimusque evasit Jurisconsultus, qui Electoralis Saxonicus ad tempus fuerit Consiliarius intimus, scriptis, quæ edidit, notus. De his vide *Albinus in Chron. Misn. f. 358. seqq. & Seckend. H. Luth.*

§. 66. Nobiliorum de PLANIZ familia dedit CHRISTOPHORUM a PLANIZ, quem *Seck. H. Luth.* inter visitatores Ecclesiarum Saxoniarum a. 1533. literis conspicuos numerat, *libr. 3. §. 25. Add. 3. b.* Hoc autem fuerunt clariores GEORGIUS a PLANIZ J. U. D. & Electoris Saxonici Consiliarius, Legatusque ad Cæsarem a. 1540. ut & JOHANNES Nobilis de PLANIZ J. U. Doctor, referente *Spang. Sp. N. p. II. f. 191.* Præfectus Grimmenfis, & Consiliarius Electoralis Saxonicus, quem intimum expellit tus est amicum B. Lutherus. Vir alias egregie doctus, & ob plurimas quas suscepit legationes, seculo superiori clarissimus. De quibus *Seckend. H. Luth.* prolixius variis in locis memorat. Commendat hos excellentes Nobiles die *Edlen von der Planitz / Pauermeisterus l. 2. de Jurisdic. c. 1. n. 37. sequ.*

§. 67. Generosam PÖLNIZIORUM familiam duo excellentissimi viri jurium scientia & civili prudentia incluti ornant BERNHARDUS a PÖLNIZ, Dynasta in Josef, trium Electorum Sax. Consiliarius & Cancellarius, nec non Curia Provincialis, quæ Lipsiæ est Præses, vir multis meritis in patriam inclutus, qui a. 1628. vita excessit v. *Freber.* Hujus virtutem & merita & dignitatem hodie LUDOVICUS ERNESTUS a PÖLNIZ a Ser. El. Sax. sanctior Consiliarius & Cancellarius gravissimus, magnæ cum laude æquat, gentisque suæ ornamentum est. Nec ignotus fuit JOHANNES BRUNO a PÖLNIZ, Consiliarius Saxonicus, aulæque Barchinensis Præfectus.

§. 68. Ex generosis Nobilibus literatis de PONICKAU, offert nobis primo JOHANNES de PONICKAU, Dynasta in Pomsen / Johannis Friderici, Mauritiæ & Augusti, Electorum Sax. Consiliarius gravissimus; Vicarius præterea Capitaneus Præfecturarum, Lipsiensis & Grimmenfis. v. *Pecc. f. 128.* FRIDERICUS a PONICKAU, Consiliarius

fuit Saxonicus, aulæque Vinariensis Gubernator, qui, cum domui Electorali Saxonicae 53. annos fideliter infervisset a. 1588. orbi valedixit. Hujus filius RUDOLPHUS a PONIKAU, natus a. 1567. adolescens in Academia Jenensi studiis Juridicis addictus, quæ in Academiis deinceps Italicis magis excoluit, & cum regiones alias quoque exteras perlustrasset, domum reversus, mox a Serenissimis Sax. Ducibus, Friderico Wilhemo, Johanne Casimiro & Johanne Ernesto, Judiciæ Saxonicae aulicæ, quod Jenæ est Adessor & a. 1596. Consiliarius & Curator supremus Comitatus Hennebergici declaratus fuit. Anno vero 1607. utriusque Præfecturæ Mansfeldensis & Meinungensis Exarchus denominatus, multas legationes graves fideliter obivit, a. 1620. ætatis 53. mortuus. *Freberus f. 1029.* JOHANNES GEORGIUS a PONICKAU Electoris Sax. circa primordia hujus seculi Consiliarius intimus. JOHANNES a PONICKAU, natus anno 1584. Ebersbachi in Misnia Vir admodum doctus fuit; Strignitii primum discipulus, deinde in Academiis Lipsiensi, Pataviensi, Florentina, Romanensi politicis studiis incubuit. Ex longo itinere redux Inspector scholæ Electoralis Grimmensis constitutus a Johanne Georgio I. Appellationum postea, ceu vocant, Consiliarius. Legationes splendidas obivit summa cum dexteritate. De quo Concio ejus funebris in vitæ Curriculum prolixius testatur. Nostro tempore JOHANNES CHRISTOPHORUS, Dynasta in Pomben, Capituli Wurzensis Præfectus, & frater ejus, JOHANNES a PONICKAU, Toparcha in Belgershayn, literarum & juris scientiam Lipsiæ excoluerunt, ut Patriæ inservirent, majorum suorum exemplo excitati.

§. 69. Gentem suam honestam, quæ inde a tempore Reformationis Lutheri Ecclesiæ Misnicæ mystas dedit reverendos, ceu duo sidera illustrarunt ESAIAS & SAMUEL a PUFENDORF, quos ob excellentes animi dotes & præclara merita, Rex Sveciæ in ordinem equestrem transtulit. ESAIAS multis defunctis legationibus ad maximos Europæ Principes, à Rege Magnæ Britannia, Carolo II. Equitis Aurati dignationem adeptus; a Rege Sveciæ Cancellarius in ducatu Bremensi & Verdensi constitutus fuit. Sed premente invidia, illo munere sese abdicavit, factus Regis Daniæ ad Comitata Ratisbonensia legatus, ibique a. 1689. vita excessit. SAMUEL vero R. Sveciæ Consiliarius aulicus & Historiographus, in aulam Electoralem Brandenburgicam evocatus, Consilarii intimi dignitatem meruit & nuper a Rege Sveciæ L. Baronis titulo ornatus fuit. Scripta ejus cedro digna eruditi orbis adplausum hoc seculo merue-

rūerunt, doctisque omnibus aut sunt notissima, aut magis innotescunt
eruditæ posteritati, quæ ipsi decus rependet majus.

§. 70. Illustris RECHENBERGIORUM familia Haugwitzii olim cognata, plures superiori seculo eruditos numeravit. Nam UIDAL-
RICUS & WOLFFGANGUS decretorum Doctores celebres fuerunt, *Spangenbergius p. II. S. N. l. 6. c. 35.* etiam JOHANNEM a RE-
CHENBERG commendat. In historia Reformationis Lutheri memo-
rantur RUDOLPHUS & BALTHASAR, quorum ille Henrici Pii, Sax-
Ducis tempore, Ecclesias visitavit Misnicas; hic vero Elect. Brandenb.
ad Comitiam Norimbergensiam legatus in causa Religionis a. 1548. fuit. con-
fer *B. Seckendorf. H. Luther.* Qui hodie in Silesia & Misnia L. Baro-
num titulo insignes sunt, ac in aula Elect. Sax. magnis dignitatibus ful-
gent, hic celebrare paginarum angustia non permittit

§. 71. Inter generosos ROEMEROS, CAROLUS CHRISTO-
PHORUS ROEMER, toparcha in Rauenstein, qui Lipsiæ & Franco-
furti ad Viadrum studiis incubuit, ob industriam doctoribus suis adpro-
batam literatis merito Nobilibus Misniæ accensetur.

§. 72. Nobilem familiam a ROHR nostra ætate ornarunt CON-
RADUS a ROHR dynasta in Salsia aulæ Sax. Martisburgensis Consilia-
rius, Capituli ingenui Misnensis Decanus & Martisburgensis Præposi-
tus; Et qui in aula Electorali adhuc de patria bene mereri studet JU-
LIUS ALBERTUS a ROHR justitiæ & appellationum supremarum Con-
siliarius, nec non Capituli Misnensis Decanus, vir animi moderatione
& doctrina juris conspicuus.

§. 73. Pergimus ad SCHOENBERGIORUM splendidam famili-
am, ex qua primum nominandus DIETERICUS a SCHOENBERG Ni-
colai, Cardinalis: pater, ex domo Reinsbergensi, Eques auratus, qui
referente *Peccenst. Th. Sax. p. l. f. 57.* Friderici II. & Ernesti, Electorum
Aulæ-Marschallus & Consiliarius fuit. Nomen suum efficit præclarum
quod tres Reges Matthiam Hungariæ, Casimirum Poloniæ & Ladislaum
Bohemiæ, armis sibi invicem infestos, una cum aliis legatis a. 1474
Vratislaviæ ex voto conciliaverit, quod *Fabric. l. 7. Orig. Sax. f. 783. &*
Spang. l. 5. Chron. Henneb. c. 36. f. 238 memorant. Hujus filios JO-
HANNEM & DIETERICUM a SCHOENBERG Consiliarios egisse
Alberti, Ducis Borussiae, scribit *Seck. H. Luther. III. §. 32. 3.* WOLFF-
GANGUS a SCHOENBERG, Dynasta in Neuenforga, Knauthayn
& Fran-

& Frankenberg, natus a. 1518. plurimis ob eruditionem & prudentiam officii præfuit. Cum enim ante præfecturas Chemnicensem, Cellensem & Schwartzbergensem gessisset; paulo post ab Augusto Elect Sax. Dresdam vocatus Mareschalli munus obiit a. 1554. Deinde rei metallicæ inspectio a. 1558. ipsi demandata est. Anno autem 1580. Ducatui Varnariensi tutorio nomine gubernator datus maximo cum emolumento. Anno 1566. Comitibus etiam Augustæ Vindelicorum habitis interfuit. Quanti a Theologo exercitatissimo Hieron. Wellero fuerit æstimatus, expositio Jobi a cap. XIII. ad XXIII. nomine ipsius præscripto, videtur indicare. Plura de hoc præclara memorat *M. Paul. Mart. Sagittarius in splendore Familie Schœnbergicæ p. 15. seqq.* Quam charus fuerit tribus illis Saxonæ Electoribus Johanni Friderico, Mauritio & Augusto, quibus a Consiliis fuit, *Peccenst. in Theat. Sax. f. 58.* testis est. Obiitum ejus doluit ipse Augustus Elector, se nimirum hujus viri obitu amisisse strenuum atque fidelem Consiliarium; quin imo fratrem fere. Vitæ enim satur obiit Neuenforge a. 1584. templo Franckenbergensi 2. Febr. illatus. Plures, eosque antiquiores Schœnbergios eruditos *Spangenbergius l. IV. Chron. Querfur. c. 48. Et. Fabric. l. VI. Orig. Sax. celebrant.* Nobis non omittendus est ANTONIUS a SCHOENBERG, Toparcha in RothSchœnberg, Nicolai Cardinalis frater, Vir admodum doctus, quique præter eruditionem ab amore & constantia in fide Lutherana celebrandus venit: quod ea propter etiam Georgio, Duci Sax. nimium invisus esset, uti apud *Seck. H. Luther.* videri potest. Fuit is moderator consiliorum Henrici, Ducis Sax. fratris Georgii, deinde hæredis facti. Freiberga ipsius intercessione liberum religionis Lutheranae exercitium ab Henrico Duce a. 1536. impetravit, cultusque divini & disciplinæ formulam in visitatione Ecclesiarum, cujus caput erat, a. 1537. accepit, teste *Mollero in Annal. Freib. p. 202.* Fridericum sapientem Electorem Sax. Comitibus Wormatiensibus visitantem comes secutus est, ut *Bernhardus Hertzog l. II. Chron. Alsat. c. 70. f. 147.* annotavit. CASPARUS a SCHOENBERG Hæreditarius in Ober- und Nieder Reinsberg ac Wildsdorff. Consiliarius Electoralis celebratur *Fabricio l. VII. Orig. Sax. f. 875.* constans religionis Lutheranae confessor. Addimus statim duos alios literatos SCHOENBERGIOS, GEORGIUM & HENRICUM, qui inter Consiliarios Augusti, Electoris Sax. Comitibus Francofurtensibus a. 1562. visitantes referuntur a *Daniele Winzenbergero*

G

in

in warhafften Geschichten p. 152. b. Henricus allegatur etiam Cameræ Consiliarius dicti Electoris ab *Herzogio l. 11. Chron. Alsat. c. 90. f. 210.* **CASPARUS a SCHOENBERG**, Dominus Porschensteinii, filius Casparis laudati, ex Misnensi schola, cujus erat alumnus, obses cum alijs pueris Nobilibus a. 1547. 16. April. navi Wittebergam deportatur, svasu Goldackeri, ut *Fabric. l. III. Annal. Urbis Misnæ f. 97.* consignavit, Mauritio, Augusto & Christiano I. ob pietatem, eruditionem & peritiam charus fuit & acceptus, ac proinde amplissimis muneribus, ut Consilarii & Proto-Synedrii Dresdensis Præsidis præfectus. Legati munus sæpius eum obiisse & Pro-Principis vices probe explevisse *Pecc. f. 56.* testatur: In comitijs quoque Francofurtensibus Augusto consilijs adstitisse, testes sunt *Winzenbergerus & Herzogius l. c.* Vitam Dresdæ finiit 21. Jan. a. 1586. juxta *Faustum l. c.* **HENRICUS a SCHOENBERG**, jam dicti Casparis filius, natus a. 1549. Dynasta in Rechenberg, Porschen- & Frauenstein, Elect. Sax. a consilijs intimis, dioecesium Dippoldisvvaldensis, Altenburgensis, Torandensis & Freibergensis, ac tandem 1588. totius circuli Hermundurorum metallici Præfectus. Visitationi Ecclesiarum ob Crypto-Calvinianismum turbatarum a. 1582. interfuit, referente *Paulo Jenisio Ann. Anneb. p. 47. Conf. Moller. Ann. Freib. p. 365.* fati concessit a. 1616. adde *Peccensf. 57.* **CASPARUS a SCHOENBERG**, filius Johannis VVolfgangi Mareschalli, Consilii sanctioris Electoralis & Judicii Appellationum Præses, vir pietatis, exquisitæ doctrinæ, prudentiæ & in rebus agendis dexteritatis laude conspicuus. Tertio anno hujus seculi Commissarii, ut vocant, partes subiit, cum D. Georgius Mylius ex Salana in VVittebergensem postliminio vocatus Professor, & Antistes Generalis renunciaretur, ut in *Baltb. Menecii. Narr. VII. Elect. & X. Past. Witteb. p. 217.* videre licet. Electioni novi Imperatoris, post Rudolphi excessum, Francofurti a. 1612. ad Mœnum institutæ interfuit. Et cum de patria bene meritus esset, a. 1629. vivis excessit. Vide *Sagittarii Splend. Fam. Schænb. p. 22.* Quo plures evolvo rerum Misnensium & Saxoniarum annales, eo plures eruditione & rerum gestarum gloria insignes invenio **SCHOENBERGIOS.** Quorum virtutes & præclara in patriam merita, angustæ hæ paginæ non capiunt. Quare tantum scriptores, qui eorum nomina incluta & laudes annotarunt, nominabo. Illi sunt *Michael Bojemus in vita Alberti K. 4. a. D. Andr. Mollerus Ann. Freib. p. 764. & Theatr. Freib. c. 14. &*

part

part. IV. c. 2. Schmidius Chron. Cygn. c. 1. p. 320. B. Seck. in H. Luther. passim, & sepius citatus Sagittarius. Quis enim nescit *SCHOENBERGIOS* præcipuas aulas Saxonicas, imprimis Electoralem meritis egregiis & obstrinxisse sibi & adhuc ornare? Nullum enim Collegium fere in aula Electorali Saxonica est, quod non Schoenbergiorum consiliis vel utatur, vel regatur. *GOTHELF FRIDERICUS*, dynasta in superiori & inferiori Biberstein &c. sanctior Consiliarius iudicii Appellationum Præses, gentis tam illustris senex & velut venerandus Nestor: *JOHANNES CASPARUS*, dynasta in Limbach &c. Camerae Electoralis Director gravissimus: *RUDOLPHUS*, dynasta in Reinsberg &c. Consiliarius Camerae: *JOHANNES HENRICUS*, dynasta in superiori & inferiori Maxen: *HENRICUS FRIDERICUS*, dynasta in superiori & inferiori Reinsberg, Aulae Electoralis Consiliarii: omnes eruditione, consiliorum dexteritate & meritis in patriam illustres. Quorum splendorem auget *ABRAHAMUS a SCHOENBERG*, Consiliarius Electoralis, Exarchus Metallurgiae Hermundurorum atque Capitaneus, vir rerum divinarum & humanarum callentissimus. Taceo, qui in aliis Principum aulis eminent. Non possum tamen ob merita in patriam meam præterire *JOHANNEM DIETERICUM a SCHOENBERG*, Dynastam Langenleubæ, Mittelfrohnæ & Goltshæ, filium *ANTONII a SCHOENBERG*, Consiliarii Johannis Philippi, Sax. Ducis a 1638. Altenburgi denati, virum raræ eruditionis, prudentiæ ac humanitatis, qui summa cum laude Consistorii Altenburgensis Præsidis, & postea Cancellarii munus usque ad annum hujus seculi LXXXII. gessit. Cujus virtutes nunc in generosissimo ejus filio, *JOHANNES FRIDERICO a SCHOENBERG* in aula jam Saxo-Hilpershausen Principis juventutis Ephoro veneramur.

§. 74. *GEORGIUS a SCHOENFELD* J. U. Doctor VVittebergæ patre Gregorio Theologo natus, Cassellis primum, deinde in Academia Marburgensi, Italicis itidem & Gallicis variis, legum jurisque scientiæ omnem locavit operam; perlustrata etiam Insula Malta domum reversus a. 1615. in Professorum adscriptus est numerum, atque Oratoris simul ac Syndici munus curare jussus est. v. *Freherum f. 1006. SEIFRIDUM a SCHOENFELD* laudat *Peccenst.* quod Seculo superiori Consiliarius Electoralis Saxonicus clarus fuisset, *Theatr. S. f. 126.*

G 2

§. 75.

§. 75. VITUS LUDOVICUS a SECKENDORF. Eques Franco-
nicus, intimus Consiliarius Elect. Sax. & Brandenburgici, gentis suæ origi-
nem quidem ex equestri ordine Francorum ducit; sed tamen cum domici-
cilium in Misnia invenerit, ac Sereniss. ducibus & Elect. Sax. Joh. Georgio
II. suum quoque adprobarit ministerium, merito quoque sibi hoc orna-
mentum Nobilitatis Germanicæ, Misnia nostra vindicat. Quam profun-
da rerum divinarum ac humanarum scientia excelluerit, libri ejus, qui in
eruditorum manibus sunt, abunde testantur: imprimis vero illi, qui *Der
Fürsten-Staat / Christen-Staat / & Historia Lutheranismi* inscribun-
tur. Paucis: vir ille supra laudem nostram est.

§. 76. CASPARUS a SEIDEWIZ, Nobilis Misniæ literatus, qui ex-
cellens fuit Juris Consultus, quem Camerae Spirensis Adfessorem laudat.
Seckend. libr. 3. §. 74. n. 5.

§. 77. JOHANNEM MAGNUM a SCHAUROTH quem aulae &
Capituli Consiliarium Cizæ, Canonicumque Numburgensem referunt do-
cumenta Genealogica.

§. 78. SCHULENBURGIOS quidem generosos Marchia & Saxo-
nia inferior sibi vindicat, qui literis & armis incluti fuerunt. v. *Spang.
Sp. N. p. II. l. II. c. 45.* At tamen & Misnia de eorum gloria participat.
Nam JACOBUS à SCHULENBURG Augusto Elect. Sax. charus, in Ad-
vocatia Quedlinburgica ac Præfectura Gomerana administranda operam
suam adprobavit, Vir literarum & armorum gloria insignis. Inde pro-
pago hujus gentis nobilissimæ etiam in Misniam translata, quæ literarum
studiis apud nos innotuit. confer *D. Mich. Praunii Adel. Europ. §. 756.*
ALBERTUS à SCHULENBURG Toparcha Belgersheini, Curia Provincialis
Lipsiensis Adfessor, Scholæque Grimmensis Inspector fuit. Nec a
literis alienus est JOHANNES a SCHULENBURG Dynasta jam in Vol-
marshayn, ex eadem domo Belgershein oriundus. Plures eruditos Schu-
lenburgios vide apud *Peccenst. Tb. S. f. 131. sqq.* & apud *Seck. H. L.*

§. 79. Inter antiquissimos Nobiles eruditos a SLEINIZ,
Jurisprudentiæ operam dedisse, reperio HUGOLDUM a SLEINIZ, vi-
rum acuti ingenii & egregiæ doctrinæ: Equitem præterea, qui Fride-
rico Bellicoso charus, eique a consiliis fuit, una cum ipso Constantiam
ad concilium profectus, in quo Joh. Huss. an. 1414. combustus est, de
quo consulendus *Peccenst. f. 68.* qui & alium memorat HUGOLDUM a
SLEINIZ paulo post florentem, Ernesti, Sax. Electoris, Consiliarum
aulæ

aulæ & Mareschallum plurimis ad exteros Principes legationibus fun-
gentem: inter quas illa celebris, qua Regum Matthiæ Hungariæ, Casimi-
ri Poloniæ & Ladislai Bohemiæ armis sibi invicem infestorum conciliator
extitit an. 1473. Coram his tam elegantem habuit orationem, ut Matthias,
Rex Ungariæ, ipsi Consilarii honores ultro obtulerit; quos tamen gravi-
bus de causis renuisse fertur. Obiit an. 1490. Misenæ sepultus, ubi etiam
monumento ipsius hæc incisa verba leguntur:

De Sleinitz clarus, nulli integritate secundus

Hic jacet Hugoldus, quo male Misna cares.

Te auxerat is titulis, fama, atque opibus meritisque

Marschallus magno judicio atque probo.

Heroaque manu Miles, Capitaneus armis

Consilioque potens, verba diserta dabat.

vid. *Peccenst. f. 69.* His antiquior est HENRICUS a SLEINIZ, qui Sigis-
mundi & Friderici, Marchionum Misnensium Ephorus fuit ac morum
præfectus. Obiit an. 1387. *Pecc. f. 67.* Hunc excipiat CHRISTOPHORUS
a SLEINIZ, Henrici filius, quem altior virtus fecit Baronem, in Hains-
bach, Ronneburg & Sleinitz Dominus. Cæsaris Consiliarium & Orato-
rem egregium deprædicat *Pecc. f. 69.* Hunc exteri etiam Principes propter
insignem eruditionem & autoritatem seculo superiori amarunt, *Spang. Sp.*
N. p. II. f. 195. & 197. de hoc scribit: Inter gentiles suos omnes eruditione
præstans, equales habens paucos. JOHANNES a SLEINIZ, Henrici,
Ducis Sax. factus Consiliarius, postquam Georgii gratia, quam antea ex-
pertus erat singularem, ob Evangelii doctrinam excidit. Amicissimus fuit
Luthero, & ob literarum scientiam insignis. Plura vide apud *Pecc. l. c. f. 71.*
GEORGIUS a SLEINIZ, eques auratus, Schiritii Dominus, trium Du-
cum Saxonie Consiliarius, virtute & experientia multa præditus, qui Palæ-
stinam adolescens adierat cum Henrico, Sax. Duce. Legatus in Belgicas
oras, item ab Henrico Duce ad Cæsarem missus, referente *Seck. H. Luth.*
l. 3. §. 78. n. 3. In ministerio Mauritii Electoris tandem obiit an. 1555. Dres-
dæ. Cujus cenotaphium in S. Afrano Misnæ. *Fabric. Ann. Misn. l. 3. f.*
103. annotavit:

Nobilitas & opes, & clari fama laboris,

Et studiis mores excoluisse bonis,

Magna viro laus est; Sed nil præclarius illa,

Quam patriam, & verum quam coluisse Deum.

G 3

Laude

Laude hac, Sleinizia de gente *Georgius* ortus,

In vita fuerat, morteque clarus erit.

Hunc tumulum nati charo posuere parenti,

Et dulci conjux officiosa viro.

Celebrantur præterea viri docti, Philosophi pariter atque Juris Consulti excellentes GEORGIUS a SLEINIZ, Augusti, Electoris Consiliarius, hujusque filius GEORGIUS a SLEINIZ, Electoralis Camerae Consiliarius nec non WOLFFIUS ALBERTUS a SLEINIZ. De quibus *Pecc. f. 72.* HENRICUS a SLEINIZ, eques auratus, toparcha in Sathaun & Honstein seculo XV. clarus, qui Comes Alberti, Ducis Saxoniae in terras sanctas fuit, ac postea ejus Consiliarius, insimulque Georgii, Sax. Ducis, Orator & Legatus ad exteros. Vir elegantis eruditionis, qui de plurimis iisque gravissimis expeditionibus posteris venit commendandus. Consule *Pecc. f. 72. & Seck. H. Luth.* Horum insignium majorum gloriam etiam nunc æmulantur, qui in aula Sax. Electorali splendidis funguntur muneribus, quos hic recensere, brevitatis studio superfedemus.

§. 80. ERASMUS SPIGEL Præfectus Wittenbergensis. Hunc visitatorem Ecclesiae habuerunt Saxonicae. an. 1533 de quo vide *Seck. H. Luth. in Judice I.*

§. 81. Ex Equestri familia SPOHRIORUM, hoc seculo eruditione ac Juris scientia celebris fuit JOH. CHRISTOPHORUS a SPOHR, Elect. Sax. Consiliarius & curiae Provincialis Wittebergensis Præses. GEORGIUM SPOHR superiori seculo inter doctos refert *Fabricius l. 8. Sax. illustr. p. 43.*

§. 82. STAMMERI ex sua generosa gente, insula episcopali Seculo XIV. currente, Cizensi ornatum celebrant HENRICUM a STAMMER, quem *Paul. Langius in Chron. Citiz.* insigni elogio ornat. Nostro tempore eruditis Nobilibus accensendus venit ADRIANUS ADAMUS a STAMMER, El. Sax. Consiliarius & Quedlinburgicae Abbatiae Capitaneus gravissimus.

§. 83. Inter STARSCHEDLIOS literis emicuit GEORGIUS Dominus in Steinwolffersdorff/ Seculo XVI. ERNESTUS DIETERICUS, Christiani II. Electoris Aulæ-Præfectus & Consiliarius: JOHANNES in Kannewiz Dynasta, WOLFFIUS Strehlæ, BALTHASAR Leisnicensis Dominus. Quos omnes pro eruditis viris venditat *Pecc. Th. S. f. 86. & 87.* DIETERICUM a STARSCHEDEL, Visitatorem Ecclesiarum Saxoniae an. 1528.

an. 1528. & Wurzenſium an. 1542. fuiſſe affirmat *Seck. H. Luth.* INNO-
CENTIUS a STARSCHEDL, redituum Electoralium Conſiliarius
& Cenſuum ſupremus Diribitor; HENRICUS vero a STARSCHEDL
Conſiliarius Electoris Saxonici aulaeque Mareſchallus ex concione fu-
nebris *Curtha Læſer* mihi innotuit. HAUBOLDUS HENRICUS & JO-
HANNES FRIDERICUS a STARSCHEDL, fratres Altorffeniſis & Ge-
nevenſis Academiae ſuis annumerarunt civibus, in quibus bonis literis in-
cubuerunt.

§. 84. Egregios quoque duos ex *TAUBENHEIMIUM*
familia viros, qui Juris Conſultorum titulum promeriti ſunt, adduxit *Seck.*
H. Luth. quorum alter *CHRISTOPHORUS a TAUBENHEIM*, Praefectus
Altenburgeniſis, Eques, qui plures cum laude expediit legationes: inter-
fuit etiam Comitii Ratiſbonenſibus an. 1541. Alter fuit *JOHANNES a*
TAUBENHEIM, qui viſitator non ſolum Academiae Wittebergeniſis an.
1517. & Eccleſiarum 1528. extitit, ſed & Legatum egit Electoris ad Suevos,
item in Comitii Auguſtaniſ 1530. Conſule *Seckend. H. Luth.*

§. 85. *BALTHASAR a TESCHWIZ*, Decanus Capituli Wurzen-
ſis ſuperiori ævo, cum legati ad comitia Norimbergeniſia munus obiret,
inclaruit, de quo *B. Seck. H. Luth.* memorat.

§. 86. Nec prætere hic licet familiam Nobilium a *THUMSHIRN*.
Eſt enim illa in Bohemia priſcis temporibus diu floruit; in Miſniam tamen
translata dedit præter ſtrenuos milites, egregios etiam Juris Conſultos,
quorum primus literis innotuit *ABRAHAMUS a THUMSHIRN*, Domi-
nus in Frankenauſen, Vir elegantis literaturæ, qui Auguſto Electori, ſa-
luberrima dedit conſilia, dictique Electoris Conjugis ſereniſſimæ fuit aulae
Praefectus. Hujus nepos fuit *WOLFF CONRAD a THUMSHIRN*, pri-
marius inter arcanos Friderici Wilhelmi, Ducis Saxo-Altenburgeniſis,
Conſiliarius, Cancellarius itidem & redituum provincialium Director,
eminentiſſimus, Vir ſumma eruditionis laude conſpicuus, cujus egregias
virtutes & merita patria noſtra ſemper recolet. Qui ante aliquot luſtra
mortuus eſt relictis filiis *WOLFFG. CONR. a THUMSHIRN*, qui in ipſo
felici ſtudiorum curſu Lipſiæ an. 1678. vitam finiit, & *CHRISTIANO*
WILHELMO a THUMSHIRN toparcha Franckenauſenſe atque Loh-
menſe, quem, niſi ipſum ex ſingulari modeſtia meritas eruditionis laudes
deprecarifcirem, fuſius deprædicarem.

§. 87. *JOHANNES TRUCHSES* an. 1492. toparcha in Willers-
walda

ris Conſulti
ſiliarius, hu-
Conſiliarius
Pecc. f. 72.
& Honſtein
ſanctas fuit
tor & Lega-
que graviſſi-
Pecc. f. 72.
nunc æmu-
ribus, quos
nſis. Hunc
de *Seck. H.*
o eruditione
DHR, Elect.
es. GEOR-
us l. 8. Sax.
ſcopali Se-
M a STAM-
at. Noſtro
ADAMUS a
Capitaneus
EORGIUS
DIETERI-
HANNES
leisnicenſis
f. 86. & 87.
m Saxoniae
an. 1528.

walda inclaruit studiis: Juris enim Doctor, & Friderici, Saxoniae Ducis, Gubernator, Senis Itatorum mortuus fuit cujus ibidem Epitaphium in templo Dominicanorum hæc legentibus aperit verba: *JOHANNES TRUXES a BALDESBALDÆ, nobili ortus genere, Juris Pont. D. hic situs est, numerans annos suæ ætatis XXXIII. cum Friderico Saxonie Ducis famulatur, diem clausit, anno salutis M. CCCXCIII. die XXII. Januarii profecutus Domini civium & sociorum lacrymis piissimis, uti hoc Albinus Chr. Misn. f. 337. consignavit, vid. etiam Peccenst. f. 110.*

§. 88. VICETHUMII seu VICEDOMINI ex illustri Thuringica equestri prosapia orti, longorum annorum serie, Landgraviis Thuringiae Marchionibus Misniae & Electoribus Sax. ministrarunt, magnis dignitatibus in aula ornati polluerunt. Inter hos ut armis aliqui eminuerunt; ita & literarum studiis celebres memorantur in aula Vinariensi FRIDERICUS Consiliarius sanctior: LONGINUS in aula Electorali Dresdensi: GEORGIUS, Mauriti & Augusti, Elect. Sax. consilarii: nec non GEORGIUS, dynasta in Cannenwurff consiliarius Electoralis in judicio supremarum appellationum. Quibus CHRISTOPHORUS dynasta in Durback, &c. Elect. Sax. Joh. Georgii II. consiliarius aulicus, & superioris Lusatiae Capitaneus, vir civili prudentia & eloquentia insignis: & alii, quorum dotes animi, virtutem & merita in Chronicis Thuringicis passim annotata, hic transcribere ob brevitatis studium non licet v. *Spangenberg. P. I. Sp. N. p. 353. & 373.*

§. 89. Ex incluta WALWIZIORUM stirpe Juris consulti prodierunt BASTIAN a WALWIZ, qui & Arte & Marte clarus fuit. Præsidem eum habuit dicasterium Electoris Saxoniae, quod Wittebergæ est. *Georgius Sabinus*, Poeta tali eum mactat elogio:

*Extinctum plangent pax, & cum Marte Minerva,
Religio, Charites, Saxona terra patrem.*

Hujus filius ejusdem nominis, BASTIAN a WALWIZ, toparcha in Dobriz, Consiliarius fuit Electorum Saxoniae in appellationum curia Vir totus in studiis bonarum literarum occupatus.

§. 90. Ex antiqua Nobilium de WEIDA stirpe literatus prodiit MARCUS de WEIDA. Fuit is lector in Cœnobio S. Pauli Civitatis Lipsiensis. Scripsit ad eum Joh. de Sleiniz anno 1511. Epistolam, in qua Nicolaum de gente Schoenbergiorum laudat. Vide eam præfixam Orationibus Nicolai a Schoenberg, cura Præsidis mei in lucem editis.

§. 91

§. 91. WEIDENBACHII literati fuerunt CHRISTOPHORUS a WEIDENBACH, Præfecturæ Saleciensis Præpositus; nec non WOLFFIUS ALBERTUS a WEIDENBACH, qui Juris peritia non minus, quam bellandi arte clarus extitit inter copias Saxonicas, quæ adversus Turcas in Hungariam a. 1662. militatum iverunt.

§. 92. JOHANNES de WEISENBACH, filius Johannis, J. U. Doctor, a. 1472. adhuc superstes, atqve Cizæ templi Petri & Pauli Præpositus: cujus singularis eruditio conjuncta cum larga munificentia, quam inter alia, in templo S. Nicolai in oppido Smöllen, nova illud ara ornando, variisque censibus ditando; tum etiam erga pauperes larga ipsis stipendia ibidem constituendo exhibuit, adhuc laudanda venit. Alius ejusdem nominis JOHANNES a WEISENBACH, Ottonis filius, J. U. Doctor creatus a. 1476. qui in Episcopum Misnensem ob eruditionem evehctus est. *Peccenst. in Tb. Sax. part. I. f. 112.* ejus eruditum ingenium valde extollit, laudatque exactam Jurisprudentiam, ob quam etiam principibus viris placuisse eum asserit. Ernestus enim & Albertus, Duces Sax. & Archi-Episcopus tunc temporis Magdeburgensis, nec non Bohemiæ Rex Georgius Bodibraicus adhibuerunt eum in consilia; cum Orator etiam magnæ inter nobiles famæ esset. Id quod etiam *Fabricius Orig. Sax. l. 7. f. 787.* innuere videtur, quando de eo scribit: *Fuit JOHANNES V. Præsul Misnensis, vir cum primis magnificus, & raro in templis, perpetuo in aulis modo Regis Bohemiæ, modo Ducum Saxonie versatus.* Mortuus est juxta eundem *Fabricium, Annal. Urbis Misn. f. 68.* a. 1487. Lipsiæ, quem sepultum capit Misena. JOHANNES frater HERMANUS a WEISENBACH, dominus in Schoenfels, claruit seculo XV. Intimus Electorum atque Ducum Saxonie Consiliarius, Præfectus etiam primarius Franconiæ & Varisciæ, quem *Peccenst. f. 112.* egregie laudat. Mortuus est a. 1483. JOHANNEM HERMANUM a WEISENBACH, ex eadem Schoenfelsiana domo oriundum, bonæ artes a teneris ornarunt: sed cum suam Principibus adprobare inciperet virtutem, livida eum præmature nimis abstulit mors circa annum 1679.

§. 93. Floruit etiam hac nostra tempestate JOHANNES ERNESTUS a WINCKEL, qui Duci Sax. Martisburgensi dedit consilia, ibidemque aulæ Præfectum egit, vir eruditionis laude præstantissimus.

§. 94. Inter WIZLEBIOS eruditos Equites, præter CHRISTIANUM a WIZLEBEN, qui XXX. Episcopus Cizensis fuit; *Weckius in Chr.*

H

Dresd

Dresd. p. 118. DIETERICUM, Friderici Bellicosi El. Sax. vicarium per Misniam memorat. Qui in Thuringia propagarunt genus, propter favorem in literas merito laudantur: quia Scholam Roslaviensem instituerunt, v. *Spang. P. II. Sp. N. p. 74.*

§. 95. Ex WOLFFERSDORFIIS eruditus, celebris est GEORGIUS a WOLFFERSDORF, Ernesti El. Sax. Consiliarius intimus, quem *Agricola orat. de fratrum Ernesti & Alberti rebus gestis*, a justitiæ studio prædicat.

§. 96. Inter generosos maxime & eruditos viros de WOLFFRAMSDORF, a *Spangenb. P. II. Sp. N. p. 33.* DIETERICUS, dynasta in Limpach laudatur, superiori ævo clarus. *Fabricius* GEORGIUM a WOLFFRAMSDORFF, Frid. Wilhelmi Pro-Electoris Sax. Cancellarium & Consiliarium intimum commendat *l. 8. Sax. illustr. p. 74.* Nostro tempore eruditione & prudentia civili gloriaque meritorum excellit, HERMANNUS a WOLFFRAMSDORFF, Supremus aulæ Joh. Georgii II. Elect. Saxon. Mareschallus, Consiliarius intimus & Comes præcipuus, Capituli Martisburgensis Præpositus; Vir de singulis officiis & patria insigniter meritus. Non minore eruditione exactaque juris prudentia insignis est GEORGIUS DIETERICUS a WOLFFRAMSDORFF, primum Elect. Sax. Consiliarius aulicus & legatus, deinde Ser. Regis Sveciæ in ducatu Pomeraniæ Cancellarius: nunc vero circuli Lipsiensis præfecturarum Capitaneus gravissimus. CONRADUM a WOLFFRAMSDORFF, Consiliarium Alberti, Comitis Mansfeldensis, seculo superiori clarum laudat. *Seck. H. L. l. 3. §. 133. n. 8.*

§. 97. ANSHELMUS a ZASCHWIZ, Dominus in Schnalitz, qui Electori Brandenburgico operam suam adprobavit, penes quem Consiliarii intimi munus obiit, aulæ simul præfecturam strenue administrans, quoque eruditus nobilibus accensendus est.

§. 98. Ex ZEHMIIS, JOHANNES SEBASTIANUS a ZEHMEN, in Clodra & Weisendorff dynasta, famam meruit egregii Juris-Consulti: Fuit is Duci Saxo-Cizensi Mauritio a consiliis non solum, sed & aulæ Præfectus, nec non redituum supremus diribitor, anno 1666. adhuc clarus.

§. 99. JOHANNES GEORGIUS a ZSCHEPLIZ, in Domsen & Löpiz, filius Wolffg. Georgii, natus anno 1600. Wittebergæ primum & Lipsiæ, ubi etiam anno 1619. publice elegantem habuit orationem: (*Nobilitatem non genere natam, sed virtute præditam, veram esse Nobilitatem.*) quam literis publice impressam fuisse, volunt documenta Genealogica, & dein

dein Paduæ Italogum literis diligenter incubuit, & eruditione haut vulgari tinctus, Canonicus Cizensis factus est. Finit vitam in domo sua Domsen anno 1628. quod ex curriculo vitæ Concioni ejus funebri annexo constat.

§. 100. Multi adhuc sunt literati Nobiles, qui aulam Electoralem Sax. hodie in Misnia ornant, patriamque nostram meritis præclaris sibi obstringunt. Sed quia genus suum vel ex Lusatia, vel Silesia vel Saxonia, vel Thuringia aut Variscia derivant, illos in hoc Schediasmate recensere omisimus; ne Misniæ nostræ gloriam aliarum gentium inclutarum vindicare voluisse videamur. Deinde etiam non dubitamus, plures esse inter Misniæ Nobiles, qui literarum cultura inclaruerunt, quorum nomina hic annotare prætermisimus; quod de illorum genealogia ex supra allegatis monumentis, quæ nobis ad manus fuerunt, non constaret. Ubi vero impertiri nobis pro sapientiæ suæ documenta non dedignabuntur, & ipsos laudatis supra viris accensere non pigrabimur. Quod si vero etiam alicubi in recensendis tot diversis nominibus lapsi sumus, æquum Lectorem rogamus; ut non sponte errantibus ignoscat: Rectiora edocti, quicquid hac in parte fuerit erratum, emendabimus. Interea DEum, cui justorum familiæ curæ sunt, precamur: ut viros generosos, literis & armis claros, aularum decora & patriæ nostræ ornamenta servare & florere ad illum usque diem jubeat, qui hoc universum hauriet.


S. D. G.

COROLLARIA.

- I. Nobilitas non est merum hominum commentum.
- II. Sapiens fuit Spartanorum institutum de educanda juventute, quod optime quadrat in Nobiles: *Literas ad usum solum* (inquit Plutarchus in Lycurgo) *discebant; Reliqua omnis disciplina erat; ut pulchre parerent, ut labores perferrent, ut in pugna vincerent.*
- III. Recte C. Tacitus IV. Ann. 6. de Tiberio prædicat, 'quod in committingo magistratu, Nobilitatem spectarit, *cum mandaret honores nobili-*

22 7c 147
bilitatem majorum, claritudinem militia, illustres domi artes spectando; ut satis consiaret, non alios potiores esse.

- IV. Nobilitatem Germanicam bello magis, quam paci debere originem, inter alia, insignia, quæ clypeo sustinentur, imposita galea, ac inde armorum nomine veniunt, testantur. Confer *Diodor. Sicul. l. V. c. 30.*
- V. Etsi apud Romanos nobilitas non peculiarem ordinem in civitate tribueret; Hodie tamen in plerisque Europæ regnis, Nobiles peculiarem ordinem constituunt, a reliquis civibus dignitate & eximiis juribus merito distinctum.
- VI. In se non minoris pretii sunt Nobiles, qui virtute togata hanc dignitatem consecuti sunt: quanquam illa non ita, ut virtus bellica in oculos incurrat.
- VII. Eruditio Nobilis ornamentum est.
- VIII. Nobilibus quidem in Germania mercaturam exercere insolitum est; non quod turpe sit; sed ne per eam a studiis militaribus abstrahantur & feuda sua atque privilegia gratis possidere videantur. Quæstus etiam omnis apud Romanos, Patribus indecorus visus est, teste *Livio l. XXI. c. 63.* Notum illud *Juvenalis Sat. XIV. Vilis sacci mercator olentis.*
- IX. Mos Sinensium, ubi pauperrimo cuique per literas patet iter ad summa, teste *Martini præfat. hist. Sinica*, non est absurdus.
- X. Turcarum mos apud *Auger. Busbequium Epist. I.* aliquid barbari redollet, quod neminem, ne suorum quidem, nisi ex se pendant: sola domo Ottomanæ excepta.
- XI. Recte *Seneca l. I. centrov. 6.* Quemcunque volueris, revolve nobilem: ad humilitatem pervenies.
- XII. Verum est illud *Euripidis in Electra*: πολλοὶ γὰρ ὄντες εὐγενεῖς, εἰς ἰκακοί.



Pauline ...

ULB Halle 3
001 853 961



9

15 17





GA-28


Vc
147

N

S

L

Jo



Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

v.
TATE
Æ
TA,

TORICUM,
quisitioni
SIENSI

Rechenberg/
osophici

XCIV.

R WIPPEL,

DEZI.

ECA
ANA

*Wolfgang Tombe
San ABAH. u
Schoenberg.
Herminie'sone
Gerthe hucollentis*

*Latuso uita
offenbare
colombu
cala off'antoy.
Lute
milit
etc.*

72282

